terito, Barbos. ubi supra *nu.*34. Rota *dec.*36.*n.* 12.*decis.*243. *n.*15.*& seq.& dec.*252.*n.*16.*& seq.par.*6 *rec.& pluries*, cum sit conclusio, de qua amplius non dubitetur; Quoties tamen agatur de alienatione, vel nova concessione voluntaria, quam Ecclesia volens posset non facere, sed bona pro se retinere, secus autem ubi agitur de illis necessariis reno-
136 vationibus ex consuetudine, vel indulto Apostolico, de quibus pluries *sub tit. de emphyteusi*, quoniam tunc novæ concessiones fiunt juxta solitum, ut ibi.

Atque ex hoc pendet altera limitatio, de qua *decis.*241. *nu.*6. *par.*4. *rec. tom.*2. *&* 243. *nu.*18. *par.*7. quod ubi bona sunt jam Ecclesiæ incorporata, tunc alienatio fieri non possit, quamvis essent alienari solita, ibique allegantur concordantes, & per Fulgin. *de emphyteusi tit. de contract. emphyt.q.*9.*nu.*15. ubi *ex nu.*16. *ad fin.* reassumendo plenè, ac magistraliter deducta per Menoch. *cons.* 79. agit quando dicatur facta, necnè, incorporatio.

Alteratio soliti etiam fieri dicitur, quamvis non alterentur pacta, vel tempora, ubi adesset alteratio circa qua-
137 litatem personarum, quia nempè bona essent solita alienari, vel concedi personis privatis, & alienentur potentibus, vel manibus mortuis, ut in specie advertitur in Romana devolutionis domus 4. Decembris 1651. coram Bichio.

Dicta verò qualitas, ut bona dicantur concedi, vel alienari solita, inducitur, vel per unam alienationem solemnem, & validam à principio, ità tamen, ut de validitate
138 constet clarè, & expresè, non autem præsumptivè, & ex illa præsumptione, quæ resultat à longissimi temporis observantia, ut advertitur *decis.*36.*nu.*8.*part.*7. *recent.*

Vel ubi concurrant duæ alienationes effectum sortitæ spatio annorum 40. ità tamen quod sint cum diversis per-
139 sonis, ac per diversos, & separatos actus, adeòut verè, & realiter sint duæ diversæ alienationes, non autem quod una alteri insit, Seraph. *decis.* 434. *num.* 5. *decis.* 1461. & 1490. *d.decis.*36.*part.*7. apud Duran. *decis.* 250. & in aliis; Et nihilominus ista præsumptio, quæ resultat à geminatione actus juncta cum dicto spatio annorum 40. dicitur præsumptio juris tantum, quæ cessare debet, ubi contraria expressa concurrit probatio, vel etiam adminiculativa, quæ ex fortioribus præsumptionibus resultet, juxtà ea quæ supra habentur in materia beneplaciti præsumpti, potissimè verò hodie, stante dicta moderna Constit. 57. Urbani VIII. quæ juris præsumptionem à longissimi temporis decursu resultantem adeò notabiliter alteravit.

De aliis verò ad materiam habetur apud Quarant. *in summa Bullar.* verbo *alienatio bonorum Ecclesiæ* Barbos. *de Episcopo allegat.* & plura habentur in recollecta super hac
140 materia facta per Cardinalem Hieronymum Pamphilium Innocentii X. patruum, dum esset Rotæ Auditor *impres.* 2. *volum. singular.* Rubei fol. 243.

Item inter limitationes supra recensitas, cadit illa, ubi ageretur de alienatione fructuum, seu commoditatis tan-
141 quam nudi facti, adeòut non tangatur ipsorum bonorum substantia, ut apud Rojas *decis.* 311. & 364. cum aliis, quæ habentur *sub tit. de feudis*, & *sub tit. de emphyt.* circa alienationem commoditatis, & *sub tit. de pensionibus*, circa alienationem commoditatis pensionis.

Ac etiam alia est limitatio, ubi ageretur de transactione super decimis, vel funeralibus, juxta ea quæ habentur *in Commen. funeralium sub tit. de parochis disc.* 26. ad materiam text. *in cap. finali de præscript. in sexto*, cum ibi communiter notatis, ac juxta distinctionem, de qua etiam *in Collen. sub tit. de Canonicis*, & *Capitulo disc.*30.

Sub alienationis autem prohibitione non venit recognitio veritatis, & bonæ fidei, quam Prælatus, vel Rector facere potest, Bald. *in Auth. si qua mulier nu.*4.*C. de sacrosanct. Eccles.* Rebuff. *dicto compend. de alien. bonorum Ecclesiæ nu.*28. Seraph. *decis.* 167. *nu.* 1. Quod etiam habemus in tutore, qui licèt sit prohibitus alienare, vel obligare bona pupilli, attamen potest recognoscere bonam fidem, Buratt. *decis.*54.*nu.*3.*decis.*49.*nu.*19. *decis.*239. *nu.*10. & *decis.* 453. *nu.*6. *ubi concordantes*.

Dummodò tamen recognitio sit benè adminiculata, nè alias quod directè prohibitum est, indirectè sequatur, juxtà ea, quæ de Prælatis, vel tutoris confessione habemus, ut adminiculata noceat, secus autem ubi sit nuda, Cavaler. *decis.* 79. *nu.* 4. Mantic. *decis.* 39. *nu.* 1. Buratt. & Adden. *decis.*453. *decis.*39.*par.*7.*recent.nu.*2. & *sæpius*.

ANNOT. AD DISC. I. cum plur. seqq. usque ad Disc. XXII.

AGitur in his discursibus de Alienatione bonorum Ecclesiæ, de qua in *hoc eodem tit.* habetur actum *disc.* 51. *& seqq.*

Ad materiam alienationis rerum Ecclesiæ facit sequens decisio.

R. P. D. LANCETTA

Romana Retractus.

Veneris 28. *Junii* 1679.

PUblicis, privatisque Urbis ædificiis, antiquæ Majestati restituendis plures studuere Summi Pontifices: studuit præ cæteris san. mem. Gregorius XIII. qui ejus ornatui speciali Constitutione de jure congruo concludit: Ruinosa enim restitui voluit, spatia inter ædes occupari permisit vicinis licentiam dedit præter Jus nostrum cogendi vicinos ad vendendum, eisdemque prælationem in emptores concessit, Inquilinos præhabuit, Prædia minora majoribus addixit, emphyteutica pacta in pretium transtulit, eisdemque legibus de plenaria Pontificis potestate subjecit nedum bona fideicommissis obnoxia, sed & ipsa bona Ecclesiastica, & ad loca Pia spectantia subrogato pretio pro vinculis, ac utilitate fideicommissi, & Ecclesiæ.

Hac decretali compulsæ Moniales Purificationis anno 1654. vendiderunt hæreditati Cardinalis Veralli Domum æstimatam scut. 797. 28. & in Instrumento sibi stipulatæ fuerunt solvi quotannis scut. 25. donec res stabilis juxta Gregorianam Constitutionem daretur; Nuper autem D. Marchio Spada hæreditatis Verallæ Possessor Monialibus obtulit, vel dictum pretium scut. 797. 28. vel unam ex tribus Domibus æqualis valoris, inter quas aderat altera annui canonis sc. 23. æstimata sc. 1856. quam A. C. Monialibus addixit reddito Marchioni majori pretio sc. 58. cui judicato non acquiescentibus Monialibus causa ad me devoluta exquisivi à DD. die 3. hujus, an esset locus exequutioni Instrumenti retractus, & quomodo, seu quænam bona essent assignanda, cumque ob gravitatem articuli numquam in hoc Sacro Auditorio examinati dilata fuerit resolutio addito quod strictè scriberetur super intelligentia Bullæ omnesque Domini ferrent suffragium, dubium hodie repropolui, & responsum habui esse locum executioni Instrumenti, & pretium esse deponendum ad effectum investiendi in bonis stabilibus etiam locis montium æqualis valoris, licèt non æqualis redditus domus retractæ servata forma Bullæ.

Et sanè omissa prima dubii parte, super qua scribentes hinc inde concordes erant, assumptoque examine secundæ concernentis modum executionis, & respectivè bonorum assignationem, movit principaliter Dominos impulsiva ratio Constitutionis; Publica nempè utilitas privato commodo præferenda juxtà illud verba proœmialia, ibi: *Quæ publicè utilia, & decora esse hinc Almæ Urbi ratio ipsa atque usus docuit ea privatis cupiditatibus, ac commodis præferenda censemus*. Istaque retento principio Summi Pontificis voluntatem indagantes ad casum præsentis controversiæ putarunt illum in §. 17. præfatæ Constitutionis Vicis rem Ecclesiæ retrahere volentibus nullum aliud Onus imposuisse quam quod ipsi justum pretium una cum duodecimæ partis argumento in æde Sacra deponerent, ac posteà in stabilibus investirent, nulla prorsus habita ratione, quod investimenti fructus æquarent redditus fundi retracti. Cum enim tale Onus retrahentibus injunctum non legatur nostrum non est addere, sed specialem Principis legem adamussim servare, ut in terminis hujus Constitutionis responsum fuit in Voto Camerali impresso *decis.* 513. *nu.*14. & 15.*part.*12.*recent.*

Fortius dum in præcedenti §. 13. concessa emphyteutis facultate solum sub directo Ecclesiæ dominio positum à Canone liberandi certa illis adjicitur conditio tradendi rem stabilem, nedum in pretio, sed in redditu etiam æqualem. Quocirca dum in casu retractus rei liberè ab Ecclesia possessæ repetita non fuit, indè urgens resultat argumentum Pontificem nullatenus emptores gravare voluisse ad text. *in l.unica §. si autem ad deficientis C. de caduciet. tollen.* Rot. *decis.*599.*nu.*9.*par.*18. *recent.*

Huic præsumptæ voluntatis diversitati assistit profectò diversa ratio disponendi, quod scilicèt eatenus in affrancatione

tione Canoni imposita fuerit emphyteutis assignatio rei quoad redditus etiam æqualis, quatenus illa solum respicit privatum emphyteutæ interesse, quem ideò pars est quanti plures propriam emere libertatem Reipublicæ, nullatenus proficuam; At non ita in simplici retractu ad quem assequendum cum emptor Onus habeat publico Urbis Ornatui ædificandi, equum non erat ut altero, & quidem præponderanti gravaretur fundum valore, ac redditu parem Ecclesiæ tradendi contra regulam Textus *in l. Navis onustæ §. cum autem, ff. ad l. Rhodiam de Jactu*, Cravett. *consil.*111.*n.*8. M. Anton. *in var.resol.lib.*1.*resol.*97. *sub n.*4. Rot. *decis.*672. *in fin.part.*1.*recent.*

Et revera dato contrario intellectu Pontificia Constitutio rarò ad praxim deduci posset, siquidem cum stabile investimentum Domus retrahendæ pretio, ac fructibus correspondens difficillimum, ut testatur Card. de Luca *de servit.disc.* 97. *num.* 6. nemo non videt quod tam enixa Pontificis voluntas solo Urbis Ornatui directa elusoria prorsus redderetur à nimis difficili adjectis Oneris implemento, cum tamen primaria Constitutionis causa ea fuerit, quod omnes majori facilitate ad Onerandum invitarentur juxta verba alterius Voti Cameralis impressi *decis.* 358. *nu.*87.*part.*1.*recent.*

Clarior convincitur hæc interpretatio ex purificatione bonorum fideicommisso subjectorum cum illis ac Ecclesiam spectantibus *in cod.§.*17. *Conventa*, ibi; *Deinde si res Ecclesiastica erit vel etiam laicalis, sed quod sciatur fideicommisso similive dispositionis subjecta*, sicut enim dubitari neque fideicommisso satis esse consultum quoties emptor justum pretium una cum augumento persolverit, quamvis illud in stabilibus erogatum fructus non æquet fundi retracti, nulla subest ratio cur Ecclesiæ respectu coæqualis fructus requiratur contra regulam, quod æquiparatorum eadem esse debet dispositio de qua Roman. *cons.* 129. *num.* 1. *litt.A.* Actolin. *resol.*11.*n.*14. & *resol.*76.*nu.*8. *Palma Nepos alleg.*107.*n.*21. Rota *dec.*98.*n.*20.*par.*19. *recent.*

Absque eo quod contrarium suadere posset dictio *utiliter* in præcepto investiendi apposita, quasi quod ea virtualiter contineat investimentum fieri debere in stabilibus, vel majorem, vel saltem æqualem fructum reddentibus. Quippè illa dictio designat solum pretium esse investiendum in bonis fructiferis ad exclusionem eorum, quæ nullum redderent fructum, non autem quod bona æqualis fructus necessariò esse debeant. Idque patet ponderando, quod prius Constitutio jubet pretium una cum augmento deponi, ac deindè ille utiliter investiri, unde utilitas restricta est intra pretium jam depositatum, & ab illo desumenda venit non autem indefinitè consideranda; Præsertim quia in altero casu affrancationis rei emphyteuticæ Pontifex non demandavit emphyteutæ depositum pretii ejusque investimentum, sed directè traditionem rei stabilis, ut ita indicaret illo tantum casu æqualis redditus necessitatem imposuisse.

Quod etiam comprobat tam dicta parificatio bonorum Ecclesiæ cum fideicommissariis, ad quæ illa dictio *utiliter* pari modo refertur ac proindè æqualiter determinat *l. jam in jure ff. de vulgar. & pupill.* Quam & fortius sequentia constitutionis verba, in quibus dispositum fuit, quod venditio ab Ecclesia facta modo præscripto nequaquam rescindi, aut impugnari possit prætextu inutilitatis Ecclesiæ. Hinc enim palam fit præcogitatum fuisse casum, quo ab hujusmodi venditione damnum Ecclesiæ irrogaretur, & quidem in fructibus (dum respectu capitalis verificari non poteret ex quo integrum illius pretii depositum unà cum augmento etiam duodecimæ partis fuerat demandatum) & tamen noluit Summus Pontifex illius prætextu retractari posse venditionem, quam publico beneficio permiserat.

Nec urget quod per dictionem *utiliter* voluerit particularem legem juris dispositione conformare juxta quam alienatio ab Ecclesia facta subsistineatur necessaria est utilitas, nedum in pretio, sed etiam in fructibus, Rhedoan *de reb. Eccl.non alienandis q.*20.*n.*199. Corrad. *in praxi. dispensat. lib.*9.*cap.*5. *n.*52. Rosa *de execut. litterar. Apostolicar. lib.* 1. *cap.* 4. *nu.* 314. Omisso enim, quod hoc argumentum non probaret assumptum, nam juxta illud, nec sufficeret æqualitas redditus, sed major esse deberet, quod tamen nec Monasterium, aut ullus unquam alius prætendit, satisfacit responsio, quod in casu voluntariæ venditionis, utque loquuntur auctoritates proximè allegatæ nulla intercedit publica utilitas, quæ privato Ecclesiæ commodo præferenda veniat, dum emens ab Ecclesia voluntariè vendente obligatus non est ad ædificandum, ad què à contra tenetur emens mediante retractu coactivo, itaut publica utilitas ab ædificio resultans nedum relevet Emptorem ab onere tradendi fundum æqualis redditus, verum etiam operetur, nè damnum Ecclesiæ attendi debeat, ut in dicto Camerali *decis.* 413.*n.*7.*part.*12.*recent.*

Et de facto in eadem Constitutione legitur specifica derogatio Extravag. ambitiosè de rebus Ecclesiæ non alienandis, quæ posita coactione ad vendendum necessaria non erat, nisi ad effectum ne venditio prætextu resultantis ab illa præjudicii, & sic dictæ Extravag. contraria revocarentur, ut in superiori §. *Quod etiam*.

Consonat his omnibus altera Constit. pars in §.23. apertè disponens: *Omnia, & singula quæ sup. statuta sunt, si quando in aliquo casu de eorum sensu controversia continget in eam partem interpretandam esse, quæ ad Urbis ornatum magis facere videbitur*. Quamobrem cum declaratio necessitatem excludens tradendæ rei quoad fructus æqualis citra dubium sit magis Urbis ornatui profutura, in alium sensum nobis ire non licèt Gratian. *discept.*464.*n.*44.*cum seqq.* Rota *dec.*143.*n.*14.*cum duob seq.* apud Pacif. de Salv. & firmatum fuit in dicto voto Camerali 538.*n.*13.*p* 13. præsertim dum facultatem substulit ipsa constitutio per clausulam sublata, decretumque irritans immediatè appositum, ut prosequitur dictum votum *n.*14.& 16.

Posito ex præmissis, quod stabilia Ecclesiæ tradenda paris fructus esse non debeant, facilis fuit resolutio, quod Constitutionis forma satis adimpleta remaneat pretium investiendo etiam in locis Montium Cameralium non vacabilium cum illarum amissionis, reparationibus, publicis taxis, ruinis, fideicommissis ac hypothecis, quando è contra loca Montium licèt remoto extractionis ac fructuum reductionis periculo subjecta nullam tamen hypotecam recipiunt præter expressam in litteris patentibus, Card. de Luca *de regal.disc.*27.*in fin.& disc.*38.*nu.*3. *& est notorium*.

Et hæc quoad intelligentiam Bullæ. Quod vero attinet ad executionem instrumenti, de quo erat quæstio, placuit Dominis declarare, quod nisi Monasterium intra terminum judicialiter præfigendum certum designaverit investimentum cum pretio jam declarato in scutis 797. 28. comparandum, vel mutato consilio domum acceptaverit jam oblatam, & in sententia A. C. admissam dempto tamen onere reddendi scuta 58. ad quorum restitutionem fuerat condemnatum, posit Marchio, vel tradere tot loca montium regulato tamen illorum valorem ad rationem currentem de anno 1654. quo orta fuit actio favore Monasterii rem stabilem consequendi, nè dilata promissionis executio Marchionis cedat beneficio per valoris incrementum, dum actio pretio capitalis fructus hodie in Monasterii præjudicium diminuti remaneret, vel dictum pretium deponere ad effectum implicandi in aliud investimentum modo, & forma supra firmatis, & in Constitutione expressis.

Et ita omnibus Dominis suffragantibus utraque &c.

LUNEN. SARZANEN.

PRO HIPPOLITA DE AUGUSTINIS CUM RECTORE ECCLESIÆ PAROCHIALIS DE VALLECCHIA.

Responsum extra Curiam.

De Constitutione Urbani VIII. tollente beneplacitum præsumptum ob lapsum temporis longissimi, præservante autem centenariam, quomodo intelligi debeant, an scilicèt dictum tempus centenarium computetur, debeat à die alienationis usq; ad diem ipsius editæ Constitutionis, vel potius usque ad diem litis, ac impugnationis actus: Et de aliis circa dictæ Constitutionis intelligentiam. Et quando procedat, necnè.

SUM-

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *Præservativa supponit existentiam subjecti conservabilis.*
3 *De constitutione 157. Urbani VIII. ejusque interpretatione.*
4 *De centenaria in eadem constitutione præservata, à quo tempore sit computandæ.*
5 *Quod sit facienda computatio à tempore alienationis ad tempus litis.*
6 *De historia legali, ex qua deducitur simile præscriptionis.*
7 *De alio simili in materia jurispatronatus.*
8 *In vim centenariæ potest allegari quicumque titulus de mundo melior.*
9 *De ratione dictæ conclusionis.*
10 *Possessio centenaria suffragatur, ubi constat de negativa solemnitatis.*
11 *Lex nova respicit futura, & quando etiam præterita.*
12 *Quod dicta constitutio Urbani non tollat præsumptionem jam firmatam.*
13 *Non procedit in contractibus inter Ecclesias.*
14 *Quid ubi Ecclesia habet causam à laico privato.*
15 *Quod debeat attendi origo, & datur simile de juspatronatus.*
16 *Secus ubi suspicio auctoris purgata est in possessore.*
17 *Sæpè Notarii dicunt in testamentis, & instrumentis id quod partes noluerunt.*
18 *Idem contingit in legibus, & dantur aliqua exempla.*

D I S C. II.

1 IN controversia coram Ordinario excitata, inter Rectorem Ecclesiæ, & Hyppolitam de ultima generatione concessionis bonorum, super puncto facultatis affrancandi, de quo habetur actum *sub tit. de emphyteusi disc.* 39. Recurrente Rectore ad aliud motivum nullitatis concessionis emphyteuticæ, ex defectu beneplaciti Apostolici, cujus præsumptio, quæ aliàs de jure communi ex lapsu temporis longissimi juncti cum observantia resultabat, hodie sublata remanet per Constitutionem 157. Urbani VIII. ut insinuatur *disc. præced.* præterquam ubi lapsus temporis centenarii accederet, qui in hac facti specie accedebat, quando computatio ex die alienationis, usque ad illum motæ controversiæ facienda esset; Hinc excitata fuit difficultas, an id suffragaretur, vel potius centenaria deberet esse completa de tempore, quo Constitutio prodiit; quare desuper ex parte Hypolitæ consultus.

2 Respondi quod primo aspectu attendendum videretur tempus editæ Constitutionis, adeòut tunc existeret centenaria per eam præservata, ex regula, quod præservative natura est nihil dare, vel tollere, sed conservare id, quod invenit in suo statu *cap. sollicitudinem de appell. cum concord.* per Mantic. *decis.* 270. *num.* 15. *decis.* 278. *num.* 8. & *seqq. par.* 9. *recent.* & consequenter præsupponit subjectum, jam existens conservabile, quod dici non potest, ubi tunc dictum centenarium tempus lapsum non esset, quoniam quod non existit, præservari non potest.

3 Cumque super hac moderna lege alias non habeamus glossas, vel auctoritates, nisi decisiones Rotæ Romanæ, quæ illam interpretata est (fortè præter intentionem legislatoris,) ut hujusmodi inferiores, ac privatas alienationes complectatur, exemit autem illas, quæ factæ essent in alteram Ecclesiam, ac etiam casus tunc in judicio deductos, ut *eodem disc. præced.* Hinc proindè, cum in Romana palatii coram Albergato 18. Maii 1657. *impress.*
4 *decis.* 168. *num.* 22. *part.* 12. *recent.* pluries in aliis instantiis confirmata, firmetur centenariam attendi facta computatione ad tempus ipsius editæ Constitutionis, ità cum hoc sensum procedendum esse videretur.

His tamen non obstantibus, contrarium dixi probabilius videri, quoniam ista lex non prodiit solùm super negotiis
5 particularibus alienationum jam factarum à centum annis citra, sed per viam legis universalis ac perpetuæ pro temporibus, ac seculis futuris, mundo durante, usque ad diem judicii, ad quem nostra fides est, Catholicam Ecclesiam duraturam esse; Et consequenter intelligenda est adinstar aliarum legum desuper providentium; Ut in specie habemus dispositionem juris civilis *in authent. ut Ecclesia Romana §. unico*, super præservativa centenariæ tantùm favore possidentium bona Romanę Ecclesię, contra quam alia præscriptio non est allegabilis, quoniam licèt dicta lex prodierit sub Justiniano circa annum salutis 530. atque in his partibus occidentalibus ejus observantia restituta fuerit circa annũ 1130. juxta legalem historiam pluries insinuatam, præsertim autem latius enarratam, & expensam *sub tit. de servit. disc.* 1. occasione agendi de puncto, an novę leges, 6
quæ per Antonium Contium & Guttifredum, aliosq; modernos antiquitatis indagatores in modernis Codicibus registratæ fuerunt, vim legis habeant; Et tamen fabulosum esset, ut justificari deberet centenaria completa de tempore editæ legis, adeòut alias præscriptio allegabilis non esset.

Item pluries habetur *sub tit. de jurepatr.* præsertim *discurs.* 57. & 58. super probatione Jurispatronatus tam potentium, 7
quàm privatorum, cujus explicitus titulus fundationis, vel donationis per authentica documenta non habeatur, ut tempus immemorabile, vel centenarium hujus tituli præsumptionem inducat, Et tamen tale tempus completum esse non debet, quando prodiit Concilium Tridentinum, ed de præsenti quando lis movetur, atque possessori de ejus possessionis viribus quæstio movetur; Idemque circa alium terminum 50. annorum, per quem de continuatis præsentationibus effectum sortitis docendum est; Sic à pari.

Clarius verò, attenta ejusdem præservativæ ratione, quoniam illa non prodiit per viam gratiæ, & privilegii, 8
sed explicando id, quod de jure dispositum est, & ne alias maxima exorbitantia ex hac nova lege resultaret, quoniam centenaria possessio, (quoties non constat certitudinaliter de contrario initio vitioso, ad quod præcisè possessor se restrinxerit tanquam ad titulum meliorem, omnem maculam, vel suspicionem purgat, atque jus tribuit allegandi quemcumque titulum de mundo meliorem absque necessitate illum justificandi, ex deductis per Gabr. *de præscript. conclus.* 1. *num.* 7. Menoch. *cons.* 1023. *nu.* 3. & 4. Rota apud Merlin. *decis.* 593. *n.* 28. & habetur *sub tit. de feudis disc.* 3. & sub altero *de Regal. disc.* 47. & *alibi frequenter*.

Ea viva, & convincenti assistente ratione, quod cum per centenarii temporis decursum, hominum memoria perierit, ac etiam, ut plurium perire soleant scripturę, & quate- 9
nùs extent, ignotæ sint, cum nemo adsit, eas indicare valeat, hinc proindè esset resolvere totum mundum, si dominia per sæculum, & ultrà confirmata, ex integro justificanda essent, præterquam, ut dictum est, ubi possessor suæ possessionis daret initium, cum restrictiva ad illum titulum tanquam unicum, & meliorem, de cujus infectione incontinenti constaret, cum ita præsumptio exclusa remaneat per contrariam veritatem, secùs autem, ubi idem titulus compatibilis est cum præsumptione alterius tituli melioris, quæ ab immemorabili, vel centenaria resultat, ex deductis præsertim *dicto disc.* 47. *de Regal.* & *infra disc. seq.*

Tantæque potentiæ centenaria possessio haberi solet, quod licèt in terminis juris communis dicta præsumptio resultans ex observantia longissimi temporis 30. annorum cesset, ubi de negativa adhibitæ solemnitatis constaret ex 10
deductis *dicto disc. præced.* & sub *tit. de dote disc.* 143. ac alibi, adhuc tamen tempus centenarium sufficit, quoties tituli infectio non sit talis, quod in possessore malam fidem inducat, omnemque diversam præsumptionem omninò excludat, apud Cavaler. *decis.* 623. *nu.* 2.

In proposito item hujus Constitutionibus, aliàs pluries in facti contingentia disputando: Dicebam, probabilius videri, quod cum legis natura sit respicere futura, non autem
præterita; Nisi quando expressè dicatur; Vel ubi prodie- 11
rit per viam declarationis ejus, quod priùs dubium erat; Aut circa ea præterita, quæ adhuc aliquam perfectionem expectant à futuro, ex iis quæ cæteris relatis habentur collecta apud Farinac. *in fragment. verbo lex num.* 36. & *seq.* Mantic. *dec.* 259. *n.* 4. Rovit. *pragm.* 2. *de censib.* Rota *decis.* 35. *n.* 9. post Merlin. *de pignor.* & *sæpjus*; Attamen in dubio præsumenda non sit voluntas Principis tollendi jus tertio jam quæsitum, ex iis, quæ habentur pluries deducta, præsertim *sub tit. de Regal. disc.* 148. ubi de hac materia potestatis tollendi jus tertii; Hinc proindè dicere consuevi, durum videri, ut ista Constitutio afficere deberet eos, qui de tempore, quo edita fuit, suam possessionem, ac dominium confirmaverant, cum jam nata, & completa legitima solemnitatis præsumptione resultante à longissimi temporis 12
possessione, juncta cum vera, & pacifica observantia, undè propterea esset tollere jus quæsitum, ac facere non dominum eum, qui jam dominus effectus erat: Eo modo, quo mala fides superveniens post jam completam præscriptionem, illius effectum non tollit Abb. & *cæteri in cap. auditis de præscript.* Mantic. *decis.* 296. *n.* 5. Buratt. *dec.* 739.

Atque si declaratum fuit quod Constitutio non comprehendit

hendit casus in judicio deductos, ut *dicto disc. præced.* non videtur quæ diversa ratio suadeat, ut iste casus quoque ab ea exceptus remanere non debeat, quodque dicta nova lex, futuris non autem præteritis provideret; Potissimè verò ubi ageretur de personis privatis, in quibus non urgeret illa potentiæ, & usurpationis ratio, ob quam respectu potentium dictæ Constitutio prodiit, ab hujusmodi privatas alienationes fortè malè extensa.

Cumque juxtà decisiones insinuatas *eodem disc. præced.* firmatum sit, hujusmodi Constitutionem non procedere in alienationibus, & contractibus inter duas Ecclesias, du-
13 cto argumento ab iis, quæ habemus in materiis Jurispatronatus potentium, ob malam usurpationis præsumptionem à Tridentino Concilio inductam, ut non procedat in personis, vel corporibus ecclesiasticis, quamvis haberent jurisdictionem, vel universitatem constituerent ex deductis *sub tit. de jurepatron. disc.* 148. Hinc dubitatum fuit pluries in facti contingentia præsertim in Romana domus pro Ecclesia S. Thomæ librariorum, cum Monasterio Sublacensi pendente in Rota coram Taja, an dicta limitatio suffragari deberet in casu, quo Ecclesia non contraxisset ab initio, &
14 causam habere à privato, in quorum bonorum ecclesiasticorum alienatio facta fuit, quatenùs ipsa Ecclesia post successionem per longissimum tempus pacificè bona possedisset.

Atque dubitandi rationem præbere videbantur ea, quæ *in dicta materia jurispatronatus* habentur præsertim *disc.* 6.
15 & 158. ut spectari debeat origo, & consequenter nihil referat juspatronatus possideri à privato habente causam à potente, quoniam adhuc jure potentis censendus est, & è converso, potens jure privati, si ab isto causam habet.

Verùm credebam (etiam in sensu veritatis) contrarium dicendum esse, & limitatione, quæ dictæ conclusioni traditur *eodem disc.* 6. & 158. *de jurepatronatus*, ubi habentur auctoritates, & decisiones, ut scilicèt id non procedat, quan-
16 do talis fuit Ecclesiæ possessio, quod purgata censeatur illa mala præsumptio, quæ ex qualitate personæ potentis resultat, ut habetur in eadem Romana domus infrà *disc.* 16.

Fortius verò ex dicta circumstantia in meo sensu magnifacienda, quod etiam in ipsis laicis privatis, quibus dictæ modernæ Constitutionis ratio non congruit, neque absolutum est eamdem Constitutionem procedere, cum potiùs hoc jure vivamus, eo quia semel casus dedit ut ità per Rotam responderetur, ità deindè continuando, juxtà illum stylum, qui mihi non placet; Potissimè dum, ut *d. discurs. præced.* insinuatur, egomet audivi ab aliquibus, qui participationem in dictæ Constitutionis editione habuerunt, quod id in intentione Pontificis non fuerit quod novum nõ est, ut ministri extensores legis, frases, seu verba ita concipiant, quod importent diversum sensum ab eo, quem ipse legislator habuit, juxtà id, quod in dies practicamus de Notariis, ità dicentibus in instrumentis, ac testamentis ea,
17 quæ testatores nunquam voluerunt, neque cogitarunt, immò voluerunt oppositum, juxtà præsertim casum, de quo *sub tit. de dote disc.* 99. & pluries sub *tit. de fidemm.*

Et in specie legis cum amplioribus verbis conceptæ præter intentionem legislatoris, habetur insinuatum sub *eod.*
18 *tit. de dote disc.* 166. in proposito Constitutionis, vel privilegii ab eodem Urbano VIII. concessis pistoribus super potioritate adversus creditores anteriores, etiam dotem; Et de aliis declarationibus propriæ Constitutionis factis ab eodem Urbano VIII. in plena Signatura Gratiæ habetur apud Royas *dec.* 217. & advertitur pluries *sub tit. de pension.* cum similibus, quæ ponderari possunt.

COLONIEN. BONORUM PRO MONASTERIO SANCTI CORNELII AD INDAM CUM ECCLESIA N.

Responsum pro veritate.

De eadem materia præsumptæ justificationis solemnitatum, ac legitimæ alienationis bonorum Ecclesiæ, resultantis ab antiquissima, præsertim centenaria possessione; Et quando dictæ præsumptioni obstet, necnè infectio tituli, ex cujus inspectione appareat de defectu solemnitatis; vel causæ; Et præsertim de alienatione antequam ederetur Extravagan. Ambitiosæ.

S U M M A R I U M.

1 *Facti series.*
2 *De nova dispositione Extravagantis Ambitiosæ.*
3 *De ejusdem moderno recepto intellectu.*
4 *Decisiones, & auctoritates modernæ non applicantur alienationibus antiquis, & de ratione.*
5 *Quando fuit editus liber Decretalium.*
6 *De beneplacito præsumpto ex tempore.*
7 *De virtute possessionis centenariæ.*
8 *Quæ sint solemnitates de jure communi.*
9 *Non suffragatur possessio quantumvis antiqua ubi constat de initio vitioso.*
10 *Mala fides impedit præscriptionem non obstante quocumque tempore.*
11 *Retentio tituli infecti inter scripturas inducit malam fidem.*
12 *De differentia inter centenariam, & immemorabilem, & quod prima non sit tantæ virtutis.*
13 *Non valenti agere non currit præscriptio; ideòque successori non nocet negligentia prædecessoris.*
14 *Quare cum difficultate præscriptio sola raro fovet possessores.*
15 *Habens centenariam potest allegare titulum meliorem, quem non tenetur probare.*
16 *De eadem conclusione, de qua num.* 12.
17 *An immemorabilis sit major, quam centenaria, vel è contra.*
18 *Declaratur concluso, de qua n.* 9. *ut possessio antiqua non suffragetur, ubi constat de initio, quando procedat.*
19 *De eodem.*
20 *An investitura probet dominium, sive an istud benè probatum de tempore præterito sufficiat de præsenti.*
21 *Quod stant benè simul initium, & immemorabilis; dantur exempla.*

DISC. III.

CUm usque ab anno 1270. quædam bona, (attento hodierno statu, (nimis conspicua, magnique valoris, 1
per Abbatem, ac Monasterium S. Cornelii ad Indam, pro exiguo pretio alteri Ecclesiæ alienata fuissent, adeòut supponeretur majorem esse unius anni fructum, quam pretium in sorte principali, hinc proindè cupiens Abbas modernus dicta bona recuperare, ac Monasterium reintegrare, consilium pro veritate à pluribus Romanæ Curiæ Advocatis de anno 1666. petiit; Cumque ego essem unus ex dictis desuper consultis.

Respondi quod pro meo sensu, id nimis durum, peneque desperatum opus videbatur, quoniam in hac materia alienationis bonorum Ecclesiæ, modernis temporibus magis rigorosè proceditur ob Constitutionem Pauli II. quæ incipit *Ambitiosæ registratam inter Extravag.* communes sub hoc 2
tit. de reb. Eccles. non alien per quam de novo inducta est precisa solemnitas beneplaciti Apostolici, magisque inculcata justa causa necessitatis, vel evidentis utilitatis, sub decreto irritanti inficiente quemcumque titulum, & possessionem, ex iis, quæ desuper ad hanc materiam generaliter deducta habentur supra *disc.* 1. Quinimò illa præcisa necessitas, quam hodie receptam habemus dictæ solemnitatis prodita magis videtur à traditionibus modernorum, ac à Rotæ Romanæ determinationibus, cum prius sub quæstione es- 3
set, an alternativè dicta solemnitas beneplaciti Apostolici, vel aliæ solemnitates per antiquos canones desideratæ sufficere deberent, ut eodem *disc.* 1.

Cum igitur dicta moderna Constitutio prodierit de anno 1448. & sic penè per duo sæcula post istam alienationem, quæ, ut supra, supponebatur facta de anno 1270. hinc proindè advertebam, suffragari non posse conclusiones ex mo- 4
dernorum traditionibus, ac Rotæ decisionibus desumptas, cum quibus hodiè vivimus, quamvis aliqui desuper etiam consulti, utpotè totam scientiam desumentes ex modernis decisionibus, ac juxtà conclusiones, quas in repertoriis adnotatas habent, cum illis aliud non indagando, procederent.

Quinimò advertebam, dubitari posse, an de tempore alienationis, ipsi Decretales in illis partibus publicati, vel 5
cogniti essent, cum eorum volumen continens quinque libros, editum esset sub Gregorio IX. inter annum 1227. in quo creatus fuit, & annum 1241. in quo obiit, & sic tempore proximo.

Fortius, quoniam etiam in rigorosis terminis *Extravag. Ambitiosæ*, solus lapsus temporis longissimi sufficit ad præsumptio-

ſumptionem ſolemnitatum, & cauſæ, ex deductis *diſc. præc.* multò magis ubi accedit ſpatium annorum circiter 40. dum, ut eodem *diſcurſ. præced.* advertitur ſola centenaria ſufficit, non obſtante moderna Conſtitutione Urbani VIII. ob facultatem allegandi quemcumque titulum de mundo meliorem; Si enim ſolùm ſpatium annorum 100. id operatur, multò magis, & abſque dubio, ubi illud eſt in quatruplo, dum ſcimus quod ipſamet Romana Eccleſia plures habet conceſſiones Imperiales, vel alia jura ſuper civitatibus, Oppidis, & locis de facto poſſeſsis per alios Principes, quos tutos reddit aliquorum ſæculorum poſſeſsio; Ac etiam quia inter duas Eccleſias, neque intrat dicta Con-
7 ſtitutio Urbani, ſed intacta remanet diſpoſitio juris communis, ut *eod. diſc. præced.*

Quia verò ex parte Abbatis dabatur ſumptum inſtrumēti alienationis, ex cujus inſpectione cōſtabat de ejus omni infectione, ex defectu perſonæ alienantis, dum perſolùm Abbatem abſque Capitulo Monaſterii facta erat, atque incontinenti ex eadem ſcriptura detegi videbatur ine-
8 ptia cauſæ, necnon defectus aliquarum ex illis ſolemnitatibus ex diſpoſitione antiquorum canonum requiſitis, quas recenſent Rebuff. *in compend. alienationis bonorum Eccleſiæ*, & Redoan. *cod. tract. quæſt.* 24. *num.* 31. & *ſeqq.* Hinc proindè alii deſuper conſulti dicebant, rem eſſe in tuto pro hac parte, innixi concluſioni deductæ ex textu *in cap. veniens de præſcript. & theor. Innoc. in cap. dudum de deci-*
9 *mis*, cum qua cæteri pertranſeunt relati apud Buratt. *dec.* 692. *num.* 2. & apud Merlin. *deciſ.* 702. *num.* 39. *repetit. deciſ* 94. *part.* 7. *recent.* cum aliis, de quibus ſub *tit. de Regal. diſc.* 47. ut ſcilicet quevis antiquiſsima poſſeſsio, etiam mille annorum, non ſuffragetur, ubi conſtat de initio infecto, quoniam iſtud inducere dicitur in poſſeſſorem malam fidem, quæ attenta diſpoſitione juris canonici ubique rece-
10 pta, etiam in Terris Imperii, & inter laicos, multò magis inter Eccleſiaſticos, per petuò impedit præſcriptionem ad notum textum *in cap. finali de præſcript.* ubi communiter ſcribentes collecti *deciſ* 373. *n.* 9. & *ſeqq. par.* 9. *rec.* & infra pluries præſertim *diſc.* 130.

Potiſsimè quia ſupponebatur, quod dictum alienationis documentum exiſteret in archivio Eccleſiæ emptricis, ex qua retentione tituli infecti inter ſcripturas, reſultare di-
11 citur etiam ſcientia juris alieni, ac mala fides *juxta conſil.* 96. Gemin. *num.* 4. *verſ. quoties legunt*, Caputaqu. *deciſ.* 24. *part.* 2. Cavaler. *deciſ.* 77. *num.* 7. & *deciſ.* 91. *num.* 10. Buratt. *dec.* 912. *num.* 9. Merlin. *deciſ.* 663. *num.* 27. *repetit. deciſ.* 3. *par.* 7 *recent.*

Atque ad facultatem allegandi quemcumque alium titulum de mundo meliorem, à centenaria reſultantem. Reſpondebant id procedere in immemorabili vera & propria, qualis dicitur ea, de cujus initio non conſtet, non
12 autem ubi de centenaria, vel etiam alio majori tempore, de cujus initio conſtat, cum tunc, dato initio infecto, intret dicta concluſio, ut ità diſtinguendo cæteris relatis firmant Barboſ. *in l. cum notiſſimi* §. *illud num.* 91. & 95. *ff. de judic.* Caldaſ. *lib.* 1. *receptarum ſententiarum quæſt.* 23. *numer.* 80. & *ſeqq.* & *num.* 109. Adden. ad Molin. *de primogen. lib.* 4. *capit.* 10. *num.* 10. Caſtill. *lib.* 5. *controverſ. cap.* 93. §. *ex numer.* 41. *cum pluribus ſequent.* ex quibus Auctoribus, alios tranſcribendo magnus fiebat allegationum cumulus.

His tamen non obſtantibus, ego adhuc dubitabam; Dicebam etenim præfatos DD. ac alios apud eos percutere
13 diverſos terminos, ubi ſcilicèt poſſeſſor munire ſe vellet cum ſolo clypeo præſcriptionis, quam ſucceſſores in fideicommiſſis, & majoratibus, de quibus ipſi loquuntur, de facili evitare poſſunt cum regula textus *in l. finali Cod. de annali præſcript.* quod ſcilicèt non valenti agere, non currit præſcriptio, ideòque prædeceſſorum negligentia, nocere non debet ſucceſſoribus poſteà natis; Ut adinſtar eorum, quæ in his terminis fideicommiſſariis habentur, idem in terminis juriſpatronatus gentilitii firmatur *ſub tit. de jurepatronat. diſc.* 35. ubi allegantur Gratian. Ciarlin. & alii, ac Rotæ deciſio in eo caſu edita.

Secus autem ubi poſſeſſor non eſt ita imprudens quod, re-
14 currat ad ſolius præſcriptionis præſidium, hodie nimium rarò ad praxim deducibile, tam ex dicta regula textus *in l. finali de annali præſcript.* quàm ex altera *in d. cap. finali de præſcript.* ac etiam ob ſubductiones temporum pupillaris ætatis, & ob reſtitutionem in integrum, quæ ratione minoris ætatis, aut alterius juſti impedimenti, ſive ratione juſtæ ignorantiæ competit; Sed cautius agendo, ejuſdem temporis beneficio utatur ad probationem tituli melioris, puta, derogationis, ſeu privilegii conceſſi per Principem, aut Pontificem, quem titulum ſufficit allegare, dum ipſa antiquiſsima poſſeſsio, quæ hominum memoriam, vel ſæculum excedat, probationis loco ſtare dicitur, ex deductis *d. diſc. præced.* cum aliis quos pro conſueto elaborato, ſed nimium prolixo ſuperfluo ſtylo deducit Caſtill. *d. lib.* 5. *controv. cap.* 93. §. 8. *n.* 27. *ad finem cum ſeqq.*

Neque ad rem facere dicebam dictam diſtinctionem inter immemorabilem, & centenariam, quaſi quod dicta operatio competat immemorabili, de qua plures ex alle- 16
gatis loquuntur, & pleniſsimè habetur apud Rot. *dec.* 101. *n.* 31. *par.* 10. *rec.* ac frequenter, non autem in centenaria, cujus initium, ut ſupra habetur; Tum quia magna quæſtio eſt inter ſcribentes, quænam eſſet major virtutis, centenaria, vel immemorabilis; Pleriſque opinantibus, majorem eſſe centenariam, per quam certus reddatur exceſſus memoriæ hominum, ac diverſus ſtatus per integrum ſæcu- 17
lum, cum dari poſsit ut non habeatur memoria etiam eorum, quæ infra ſpatium 100. annorum ſequuta ſint, ex iis, quæ pro utraque opinione ad ſacietatem colligit idem Caſtill. *d. c.* 94. §. 8. *n.* 51. *cum ſeqq.*

Tum clarius, quoniam id procedit, quando certitudinaliter conſtat, centenariam, ſeu majorem poſſeſsionem habitam eſſe in vim tituli, qui ex ſui facie pateat clarè in- 18
fectus; Hæc autem certitudo reſultare non dicitur, niſi quando imprudens poſſeſſor, ſimpliciter, ac principaliter titulum ita producit ad ſuæ poſſeſsionis juſtificationem, quod ad eum ſe reſtringendo, alterius melioris præſumptio excludatur, juxta caſum, de quo *in dicto diſc.* 47. *ſub tit. de Regal.* cum ſimilibus; Secùs autem ubi, (ut cautius ac prudentius eſt,) nullum exhibet, nec producit titulum, contentus ea majori facultate, quam antiquiſsimum tempus ità ſibi tribuit; Vel ità producit cautelatè, quod non excludatur compatibilitas, ſeu poſsibilitas alterius tituli melioris, adeòut ceſſet dicta reſtrictio juxta deducta apud Lanar. *conſ.* 94. quod videtur in hac materia magiſtrale, cum aliis *eodem diſc.* 47. *de Regal.*

Atq; hinc, reſpondendo ad dictas concluſiones deductas *ex theor. Innoc. in cap. dudum*, & *ex conſ.* 96. Gemin. Dicebam illas eſſe veras in puncto juris, ac in abſtracto, poſitis 19
tamen terminis habilibus, quod ſcilicet præcisè conſtet poſſeſsionem habitam fuiſſe in vim illius tituli, tanquam unici, & melioris alterius excluſivi, ſecùs autem iſta reſtrictione non benè juſtificata, quoniam cum extrà controverſiam ſit, dari poſſe titulorum multiplicationem, hanc rectè centenarius poſſeſſor dicere poteſt, quod ejus prædeceſſores, agnoſcentes titulum, de quo conſtat, eſſe minus tutum, alium titulum meliorem ſibi cumularunt, cujus vigore, non autem primi poſſeſſum eſt, & quem juſtificare non tenentur, ſed ſufficit allegare; Atque in hoc dicebam reſidere difficultatem, quatenus dicta alia Eccleſia pulſata ad docendum de ſuæ poſſeſsionis titulo, imprudenter illum non produceret ita ſimpliciter & reſtrictivè, quo caſu admittebam, quod longiſsima poſſeſsio quatuor ſæculorum, & longè major ſuffragari non potuiſſet; Ideòque difficultas non erat in veritate concluſionem, ſed in applicatione, ut frequentius, ac penè ſemper contingit.

Ad quod ponderabam etiam ea, quæ habentur deducta in Romana Caſtri Orciani *ſub tit. de Feudis diſc.* 70. ac in
deciſionibus Rotæ ibi recenſitis, quod non ſufficit, ut quis 20
doceat de ejus antecedenti dominio ex inveſtituris, aliiſque documentis, niſi conſtet, quod hodiernus poſſeſſor jure illarum inveſtiturarum, & titulorum poſsideat; Vel quia id explicitè, vel implicitè fateatur per tituli productionem; Vel quia aliundè conſtet quod ille alio titulo rem habere non potuit, ſed perneceſſe bona in eum obvenerunt ab eo, cui inveſtitura conceſſa fuerat, adeòut excludatur dicta poſſibilitas, quæ utpotè continens præſumptionem juris, contraria probatione, vel ſaltem fortioribus præſumptionibus, & adminiculis tollenda eſt.

Neque ratio differentiæ inter immemorabilem & centenariam, ut ſupra per allegatos conſiderata, attendēda venit, niſi quando, ut ſupra, concurrit certitudo initii infecti, cum reſtrictione excludente alterius tituli melioris poſsibilitatē; Non enim omne initium id operatur, quoniam ſtant ſimul, 21
ut conſtet de initio ſtatus contrarii, & tamen rectè detur præſcriptio immemorabilis, cujus vigore quilibet melior titulus allegari poſsit; Atque pluries in facti contingentia, agendo de hoc articulo, deducere conſuevi exemplum Imperii Romani, quod notorium eſt, poſſeduiſſe penè univerſū Orbem, præſertim noſtras occidentales Provincias, Italiē, Hiſpaniæ, Galliæ, Germaniæ, & alias; Et tamen receptum eſt

eſt plures Italiæ Principes, vel Civitates, dictoſque Hiſpaniæ, & Galliæ, Germaniæ, aliarumque provinciarum Reges, & Principes, omninomodam libertatem, ac exemptionem ab Imperio præſcripſiſſet, ex præſcriptione immemorabili præbente quemlibet titulum meliorem, eo modo quo idem Romanum Imperium priùs quæſierat, ac præſcripſerat contra alias antiquiores Monarchias, Medorum, Aſſyriorum, Perſarum, & Græcorum, ex deductis per noſtrum eruditum Borell. *in ejus tractatu de præſtantia Regis Catholici c.* 4. & 47. Ergo contrarium initium ità genericè ſumptum, & de per ſe, hoc impedimentum non præſtat. 16

Ità pariter certum eſt, quod Eccleſiæ, quę hodiè poſſidentur cum jurepatronatus à laicis, diverſum habuerunt initium, cum introductio juriſpatronatus fuerit poſterior, ut advertitur in ſua materia *ſub tit. de jurepatr.* & ſic adeſt initium, & tamen paſſim datur poſſeſſio immemorabilis; Idemque in decimis, quas laici poſſident, præſertim in Hiſpania, ut patet ex copioſo numero deciſionum Rotæ, quas deſuper inter volumina habemus; Certum enim eſt initium poſt expulſionem Maurorum, & tamen adhuc datur immemorabilis, quia hæc intelligitur ab eo diverſo ſtatu citrà; Ideòq; punctus eſt in modo poſſidendi, quod ſcilicèt poſſeſſor præciſè ad illum titulum ſuam poſſeſſionem reſtringat, de cujus vitio conſtet, cum tunc dicatur excludi dicta poſſibilitas alterius tituli melioris, qui cumulari potuit, atque initium infectum benè obſtat; Et hæc dicebam in ſola forma diſcurſiva nihil firmando.

NERITONEN. BONORUM INTER MENSAM EPISCOPALEM, ET RUGGERIOS.

Reſponſum pro veritate.

An, & quando alienatio bonorum Eccleſiæ invalida dicatur, quamvis expreſſum beneplacitum Apoſtolicum accedat, ob illius formam non ſervatam; Et poſita nullitate, an per poſſeſſorem fructus reſtitui debeant; Et è converſò, an, & quæ melioramenta per Eccleſiam ejus bona vindicantem, poſſeſſori debeant refici.

SUMMARIUM.

1 F*acti ſeries.*
2 *Reſolutio cauſæ.*
3 *In claris non intrant argumenta.*
4 *Fructus quando veniant reſtituendi.*
5 *Dominium, & poſſeſſio ab Eccleſiam abdicantur.*
6 *Meliorans bona Eccleſiæ non fit dominus melioramentorum, ſed ſolum creditor pecuniarius.*
7 *Fructus cauſati à melioramentis non ſunt meliorantis, ſed Eccleſiæ.*
8 *In materia uſuraria non attenditur utilitas debitoris, ſed intereſſe creditoris.*
9 *Meliorans cum mala fide, etiam ſi repetit, cenſetur eſſe implicitus mutuator.*
10 *Contrarium ejus, quod dicitur n.* 7.
11 *Eccleſia debet ſequi æquitatem.*
12 *Quare Eccleſia non debeat percipere fructus melioramentorum.*
13 *Quod uſura in his terminis non intret.*
14 *Quod meliorati malæ fidei non ſint reficienda melioramenta.*
15 *Contrarium, & quare.*
16 *Expenditur ratio concluſionis, de qua n.* 14.
17 *De ratione donationis præſumptæ.*
18 *Quæ ſpecies malæ fidei requiratur.*
19 *Quæ ſpecies melioramentorum refici debeat, & quomodo.*
20 *De temperamento cum quo proceditur quandoque circa refectionem melioramentorum.*
21 *De diſtinctione in purgatione attentatorum.*
22 *Quando alienatio redoleat fraudem, & malam fidem veram.*
23 *Et quando ſit mala fides excuſabilis.*

DISC. IV.

1 IMpartita per Urbanum VIII. facultate Epiſcopo Neritonen. concedendi in emphyteuſim territorium nuncu-

patum *de Erneo*, ſub duplici forma, ſeu conditione; Primò ſcilicet, quod ſimul, ac unico contextu, uni, vel pluribus illud ita in totum concederetur; Et ſecundò, quod priuſquam ad traditionem, dictæque facultatis executionem deveniretur, in eodem loco, in parte executoribus benè viſa, apponi deberet marmoreum monumentum, quod Eccleſiæ dominium, dictamque conceſſionem demonſtraret, alioquin gratia cum omnibus indè ſequutis invalida remaneret, ac haberetur pro non facta; Epiſcopus, utraque forma neglecta, quamdam dicti territorii partem incultam oleaſtris, & vepribus plenam, ac paſcuis tantùm habilem, conceſſit Alexandro de Ruggeriis, ſub annuo canone ducatorum 16. cum obligatione præſtandi decimam de ſingulis fructibus; Epiſcopus autem ſucceſſor, poſtquam dictus Alexander, ejuſq; ſucceſſores dicta bona conceſſa, cum notabili ſumptu ad culturam redegerant, ob non ſervatā formam in licentia Apoſtolica præſcriptam, conceſſionem invalidam declaravit; Cumq; nullitas eſſet inevitabilis, hinc proindè poſſeſſores opponebant de refectione melioramentorum; E converſo autem Epiſcopus, iſta denegata, petebat reſtitutionem fructuum, vel eorum imputationem in dicta melioramenta. Unde introducta cauſa in Rota coram Cel- 2
ſo, ſub die 27. Junii 1662. ſuper puncto melioramentorum prodiit reſolutio Epiſcopo, ſeu Eccleſiæ favorabilis, ut melioramenta tanquam facta mala fide, refici non debeant, dum non ſunt neceſſaria, quæ alias per dominum fieri debuiſſent, ut inter impreſſ. ejuſdem Celſ. *dec.* 387.

Edita iſta deciſione, cupientes Partes amplius non litigare, concorditer meum deſuper votum pro veritate petierunt; Ideòque diſtinguendo caſum in duas inſpectiones; Primò ſcilicet circa reſtitutionem fructuum; Et ſecundò, circa refectionem melioramentorum; Inanis enim labor erat agere de nullitate conceſſionis, dum ob decretum annullativum contentum in licentia, nullitas erat indubitata, ceſſabantque diſputationes, quæ tali decreto non accedente, cadere ſolent ſuper eo, an implementum importaret conditionem vel modum, quoniam juxta vulgarem regu- 3
lam text. *in l. ille*, *ff. de legat.* 3. *cum concordan. deducl.* apud Rota *dec.* 43. *n.* 14. *par.* 11. *rec.* in claris, & expreſſis non intrant argumenta.

Quatenus igitur pertinet ad primum punctum reſtitutionis fructuum; Dixi planam eſſe affirmativam, ex iis, quæ 4
habentur ſupra *diſc.* 1. dum nullitas erat clara, & inexcuſabilis, undè propterea cadere non poterat illa probabilis dubietas, vel credulitas facti; vel juris dubii, quæ aliquando excuſat, ex deductis *dec.* 444. *par.* 5. *rec. tom.* 2. ibique latè Adden. cum aliis *eodem diſc.* 1.

Quare poſita tanquam abſoluta ſubſtantia dictæ reſtitutionis, inſpectio cadebat ſolùm ſuper modo, an ſcilicet, & qui fructus reſtitui deberent; In hoc autem, pro ratione dub tandi dicebam, integros fructus à poſſeſſore perceptos reſtitui debere, nulla ratione habita, quod melioramenta facta per poſſeſſorem, notabile eorumdem fructuum augmentum cauſaverint, quoniam cum extra controverſiam ſit, ut ob decretum irritans contentum in *Extravag. Ambitio-* 5
ſæ, dominium, quini mò & poſſeſsio civilis non abdicetur ab Eccleſia, quæ interim domina, & poſſeditrix reputatur, etiam ad effectum interdicti poſſeſſorii recuperandæ, vel retinendæ, ut advertitur ſupra *diſc.* 1. melioramenta verò inſeparabilia, ſine dubio acquirantur ei, cujus eſt dominium rei melioratæ; etiam in caſibus, in quibus de jure, vel de æquitate melioranti refectio debita ſit, cum ſemper 6
ipſe remaneat creditor pecuniarius, non autem dominus, ut cæteris relatis habetur *ſub tit. de feudis diſc.* 27. ac etiam *ſub tit. de legitima*, & *detractionibus*, præſertim in Romana domus, occaſione agendi de melioramentis, quæ in reſtitutione fideicommiſſi ſub nomine detractionum veniunt, vel de alia refectione, ac in pluribus deciſionibus in ea cauſa editis; Hinc proindè, juxta plurium opinionem, de ſtricta cenſura, juridico fundamento non deſtitutam; omnes fructus ad dominum rei pertinent, eorumque participa- 7
tionem meliorans pretendere non poteſt, dum fructus dicūtur ſequela dominii, meliorans verò eſt creditor pecuniarius qui citra uſurariam labem, fructus, vel acceſsiones percipere non poteſt, non concurrentibus legitimis requiſitis lucri ceſſantis, vel damni emergentis acceſsionum juſtificativis, ut tenent Covarruv. & alii relati in infraſcriptis deciſionibus, in quibus contrarium firmatur.

Neque abſonum videri debet, ut Eccleſia, vel alter dominus rei melioratæ, ita lucrum faciat de eo, quod ex aliena pecunia partum eſt, quoniam ut pluries habetur *ſub tit. de* 8
uſuris, in hac materia, non ſpectatur quid interſit debito-

ris, sed solùm interesse creditoris, qui non ex eo quod debitor ex mutuo magnum commodum, seu lucrum fecerit, usuras, vel accessiones, (ubi legitimum interesse cesset,) percipere potest, ut pluries etiam habetur apud Leotard. *de usur.* præsertim *quæst.* 32. *num.* 30. *quæst.* 78. *num.* 14. 9 *& quæst.* 80. *num.* 18. Ideòque cum possessor bonorum Ecclesiæ malè alienatorum, sciret, vel scire deberet se non esse dominum, undè præsumitur possessor malæ fidei ad fructuum restitutionem obligatus, huic proindè melioranda rem alienam, ubi etiam meliorantorum refectio defectio debita sit, aliud agere non videtur, nisi implicitè mutuare Ecclesiæ illam pecuniam, quæ in melioramenta erogatur.

His tamen non obstantibus, contrarium respondi verius de jure videri; Tum quia generaliter, verior, magisque 10 recepta est diversa opinio, ut fructus producti à melioramentis, ipsius meliorantis commodo cedere debeant ad text. *in l. cæterum* 12. *ff. de rei vendic.* quem perpetuò notandum dicit Roman. *singul.* 337. & cæteris relatis plenè probant Gabr. *cons.* 88. *num.* 8. *lib.* 1. Giurb. *dec.* 105. *num.* 19. Rota apud Buratt. *dec.* 558. *num.* 1. apud Merlin. *dec.* 363. *num.* 5. *dec.* 188. *num.* 5. *par.* 5. *rec. Romana domus* 24. *Januarii* 1650. *coram Bichio*, *impress. dec.* 6. *par.* 11. *recent. num.* 13. *& seqq.* cum aliis deductis in locis supra citatis, præsertim infrà *in Romana domus sub tit. de tract.* & in decisionibus in ea causa editis.

Tum etiam quia, ubi de juris rigore inter privatos aliàs 11 dicendum esset, talis rigor admittendus non est in Ecclesia, in qua, ut advertitur *sub tit. de emphyteusi* ad materiam caducitatis, & alibi, sola æquitas, ac naturalis veritas attendi debet; Cum etenim ipsa dicatur æquitatis, ac justitiæ mater, & cultrix, atque super hisce virtutibus, privatorum exemplar sit, ita justitiam, & æquitatem lædere videretur obtinendo locupletationem de alieno.

Non debet etenim fictio plus operari, quam veritas, sive affectus nullus, non magis, quàm nihil; Atque canones provident, ne Ecclesia per alienationes ejus bonorum 12 factas contra formam ab ipsa lege præscriptam lædatur, ac supplantetur, non autem, ut alios lædat, sive lucrum de alieno faciat, ideòque illi sufficere debet, ut ei reficiantur fructus, quos ipsa percepisset, nisi alienatio facta esset; Et consequenter dixi, inspiciendum esse, quant um Ecclesia prius solita fuisset percipere de hoc prædio in eo statu inculto, in quo erant ante concessionem, ac faciendam esse peræquationem cum canonibus, & decimis singulis annis solutis, & si quid superesset, refici debere: Ex facti tamen serie supponebatur, nullum adesse excessum, quinimò potiùs Ecclesiam fuisse in lucro, & consequenter ex facto cessabat necessitas assumendi alteram quæstionem, de qua *dicto titul. de detract.* an fructus, qui singulis annis per meliorantem ex parte non meliorata percipiuntur, imputandi veniant in sorte, necnè.

Neque obstare credebam ea, quæ supra insinuantur de usuraria pravitate aliàs resultante ex fructuum, seu acces- 13 sionum perceptione à credito pecuniario, quoniam istud dicitur mutuum implicitum ex quadam juris subtilitate, vel fictione, non autem attenta naturali veritate in animo meliorantis, qui intentionem non habuit mutuandi, sed meliorandi id, quod credebat suum, atque ita investiendi pecuniam in effectus fructiferos, undè propterea, probata videntur requisita interesse; Ad instar eorum, quæ habemus in fructibus recompensativis ad terminos textus *in l. curabit*, *Cod. de action. empt.* debitis venditori pro pretio non solto rei fructiferæ, ac etiam emptori solventi pretium rei non traditæ, ut in sua materia *sub tit. de usuris*; Nil obstante quod ob malam fidem è lege præsumptam, ita implicitus pecuniæ mutuator censeri debeat, quoniam, ut dictum est, id provenit ex quadam juris rigorosa fictione, non autem ex naturali veritate, & æquitate, quas Ecclesia attendere, ac servare tenetur, potissimè dum est quædam mala fides, potius præsumpta, quàm vera, ut infrà.

Quo verò ad alium punctum refectionis melioramentorum; Quando subsisteret facti præsuppositum insinuatum in dicta hujus causæ *decis.* 387. Celsi *num.* 9. quod ex prædio 14 meliorato non perciperentur majores fructus, quàm ex præcedenti statu non meliorato, & quæ utilitas quoad Ecclesiam quæ citra necessitatem vendere non potest, nec debet, attendenda videtur, cum aliàs nil sua interfit prædium in sorte majoris æstimationis effectum esse; Et tunc, laudando resolutionem, dixi pro Ecclesia respondendum venire, quoniam ex deductis in eadem decisione, ac *dicto disc.* 27. *sub tit. de feudis*, & pluries *sub dict. tit. de detractionibus*, in melioramentis utilibus, ex sola ratione æquita- 15 tis reficiendis, ad tollendam locupletationem de alieno, refici debet id, quod minus per quamdam speciem actionis de in rem verso, & pro ea sola utilitate, quam dominus reportaret.

Ubi verò istud factum non assisteret; Contrarium dixi probabilius videri, non obstante rigorosa conclusione in eadem decisione deducta, ut mala fide melioranti refici 16 non debeant melioramenta ad text. *in l. domum*, *Cod. de rei vendit.* Bald. *cons.* 257. *numer.* 1. *lib.* 1. *cum concord.* per Rot. *decis.* 188. *numer.* 29. *& seqq. &* 318. *num.* 22. & 23. *part.* 9. *recent.* quoniam perpensis omnibus auctoritatibus hujusmodi, liquet illam duplici rationi alternativè innixam esse, vel scilicet ob præsumptam donationem, quasi quod scienter ædificans in alieno, donare censeatur, vel in pœnam temeritatis ædificandi, seu meliorandi in alieno.

Neutra ex his rationibus videbatur ad rem aptabilis; Non quidem prima præsumptæ donationis, cum hæc sit 17 præsumptio, quæ absque dubio contraria probatione veritatis tollitur, dum ita constat, meliorantem non animo donandi alteri fuisse, sed ut sibi ipsi proficeret, & acquireret; Minusque altera, quoniam rigorosa opinio volentium 18 malæ fidei melioranti denegandam esse quacumque refectionem, ubi etiam reficienda essent, præsupponit talem malam fidem, ut redoleat temeritatem, & sic delictum positivum, sine quo pœna non datur, ut exemplificari solet in doloso, ac violento spoliatore, sive etiam in attentante, quoties attentata dolosa dici possunt, & inexcusabilia, puta post inhibitionem, sive lite pendente, cum affectione, atque cum hoc præsupposito malæ fidei veræ, & culposæ loquuntur Bald. *d. cons.* 257. ac *dicta dec.* 288. & 318 *par.* 9. *rec.* & alii, qui in eisdem, ac in hujus causæ decisione allegantur.

Et nihilominus, etiam isto casu, quando cesset altera ratio donationis, idem textus *in l. domum*, *Cod. de rei vin-* 19 *dic.* concedit melioranti facultatem auferendi melioramenta, qua sine prioris status læsione, vel deturpatione auferri possunt, data optione domino rei melioratæ solvendi æstimationem ruderum ablatorum, atque ubi sunt inseparabilia, intrat quoddam æquitativum Judicis officium, seu quædam æquitativa actio, vel exceptio doli, vel de in rem verso, ad tollendam locupletationem de alieno, ex deductis locis citatis.

Ac etiam ex alia conclusione in quocumque privato recepta, multò verò magis in Ecclesia, ut in civilibus, ex 20 canonica æquitate non detur exactio pœnæ, ultra id quod interest; Unde propterea *d. dec.* 188. & 318. *par.* 9. circa hujusmodi rigorosam conclusionem in eis firmatam effectum non habuerunt, dum in alia instantia in decisione edita coram Cerro *impress. ead. par.* 9. *rec. dec.* 420. stante quod melioramenta erant notabilia, atque meliorate dominus ob ejus paupertatem reficere non poterat, adhibitum fuit prudens, & æquitativum temperamentum, ut ipse melioransremaneret rei melioratæ dominus, ac possessor, dominio autem reficeret valorem rei in eo statu, in quo erat ante meliorationem, quod etiam in præcedentibus decisionibus coram Bichio, quoque dictum fuerat, ideoque dictus summus rigor de stricta censura juris civilis, ac præscindendo à præfata canonica æquitate, intrare non debet nisi in possessore talis malæ fidei certæ, & inexcusabilis, quæ dolum, seu delictum positivum redoleret.

Non autem in hac specie malæ fidei ex quadam rigorosa legis fictione resultante, juxta eam distinctionem, quam 21 habemus in eadem materia attentatorum inter attentata facti, merè dolosa ob positivum spretum inhibitionis, & alia attentata juris, quę ratione appellationis, vel litis pendentiæ committi dicuntur, ut in istis, ratione scandali, vel paupertatis, seu ex alio justo motivo, de facili detur suspensio, vel rejectio, quæ in illis denegatur, ut in sua materia *sub tit. de judiciis*.

Negari etenim non potest, hanc esse malam fidem fictam à lege subintellectam, non autem veram, & culposam, nisi quando particulares facti circumstantiæ illam redolerent 22 quia nempè fraudis, & affectationis efficacia argumenta concurrerent inter Prælatum alienantem, & eum, in quem facta est alienatio, prohibitionis benè conscium, ut (e.gr.) rigorosè dici poterat in casu, de quo apud Merlin. *dec.* 759 & 764. *repetit. dec.* 143. & 152. *par.* 6. *rec.* ubi de quadam alienatione facta Fontanellæ Auctori tractatus *de pact. nuptial* ac decisionum, cum Ecclesiæ læsione sub affectato prætextu remunerationis meritorum, eo quia fuisset Ecclesiæ Advocatus, cum similibus; Et potissimè ubi accederet conjun-

conjunctio sanguinis inter Prælatum alienantem, & eum in quem fit alienatio.

Nil autem in præsenti concurrebat, quod dictam fraudem, vel malam fidem veram redoleret, quoniam concessio ex utraque parte, de facto, ac naturali veritate attenta, sincerè, bonaque fide inita erat, nullitas verò non resultabat à læsione, quæ, ut advertitur *supra disc.* 1. principaliter in hac materia attendenda est, sed à non servata 23 forma in Apostolica licentia contenta, ut integrum tenimentum eodem tempore, uni, vel pluribus concedi deberet, cum erectione marmorei monumenti tùm fortè neglecta, quia crederetur, ut sequi deberet quando inventis aliis concessionariis, integra concessio perfici deberet, potissimè quia concessionarius, quamvis nobiles, vel civiles natales habens, erat vir idiota, non de facili hujusmodi callens subtilitates, quas in illis præsertim partibus, in quibus incolæ non multum litteraturæ, ac studiis dediti sunt, vix Juris Professores callent, minusque callebat ille, qui alienationem fecerat, dum non ipse Episcopus, tunc absens pro servitio Apostolicæ Sedis Nuncium agens in Germania inferiori, (postmodum ad Summi Pontificatus apicem evectus sub nomine Alexandi VII.) sed mensæ Episcopalis œconomus concessionem fecit; Ideoque concludebam quod naturalis veritas spectari deberet: Puto autem quod honesta concordia controversiæ finem dederit, cum amplius de causa actum non audierim.

LUCANA BONORUM PRO NICOLAO DE DONATIS CUM RECTORE ECCLESIÆ N.

Responsum pro veritate.

De concessione rei solitæ concedi, an, & quando substineatur; Et an posita valida alienatione, seu concessione, possit Ecclesiæ Prælatus, vel Rector, illam retractare concorditer cum concessionario, istumque libertate in Ecclesiæ præjudicium.

SUMMARIUM.

1 FACTI series.
2 *De claudicatione favore Ecclesiæ.*
3 *Etiam ubi alienatio esset excusabilis circa pœnas reddi-*
tur culposa ob perseverantiam.
4 *Ubi alienatio retractatur, dicitur adesse quædam fidei*
violatio.
5 *Quod filii, vel descendentes possint nolle continuare in*
concessione emphyteutica, vel conductione.
6 *Ut feudatarius possit refutare feudum Domino invito.*
7 *Contrarium verius est, quod habetur n.* 5.
8 *Diminutio, seu abassatio census importat alienationem*
prohibitam.
9 *Eadem solemnitas, quæ requiritur in contractu, deside-*
ratur in distractu.
10 *De licita concessione eorum, quæ sunt solita concedi.*
11 *An utile, vel inutile vitietur.*
12 *De ratione dubitandi in casu.*
13 *Quod consulentibus non sit deferendum.*

DISC. V.

FInita controversorum bonorum concessione, aliàs per Ecclesiam facta Matthæo de Lillis, eadem bona, ju- 1 re renovationis, seu novæ concessionis, data fuerunt Cæsari de Donatis, pro se, filiis, nepotibus, pronepotibus, & adnepotibus masculis, cum pleriisque tamen pactis; & conventionibus dictæ antiquæ concessionis alterativis; Cumque defuncto Cæsare, Nicolaus ejus filius de præfatæ concessionis invaliditate dubitaret, nè incertus ità remaneret, concorditer cum eodem Ecclesiæ Rectore, qui concessionem fecerat, ab ea tanquam invalida recessit, deindeque ad aliam devenit, in omnibus antiquæ conformem, sublatis alterationibus Ecclesiæ præjudicialibus, ex quibus nullitas resultabat, cumque defuncto dicto Rectore, de Ecclesia prædicta provisus fuisset Cardinalis Bonvisius, isque crederet, quod magis Ecclesiæ expediret primam concessionem subsistineri, pactis alterativis non obstantibus, quodque non potuerit prædecessor ab ea recedere, concorditer autem, ac in forma benevola, & extrajudiciali veritas inquireretur; Hinc proindè ex parte dicti Nicolai de super consultus.

Respondi pendere resolutionem à puncto validitatis, vel invaliditatis dictæ concessionis, à qua concorditer fuerat recessum; Si enim invalida erat, planum remanere videbatur potuisse recedi; Quamvis etenim Ecclesia in hoc privilegiata sit, quod neglecta illa æqualitate, quæ de jure ex regula correlativorum servanda est, intrat ejus favore 2 claudicatio, ob quam ipsi, ejusque Rectori, vel administratori licitum est pænitere, atque à contractu recedere, sive illum invalidum declarare, non autem alteri contrahenti, ex deductis supra *disc.* 1. ubi de aliquibus declarationibus; Attamen ista pænitendi, seu nullitatem declarandi facultas, nullam in jure habere videtur restrictionem, ut exerceri non valeat, ac potius ex sacrorum Canonum dispositione, vel sensu commendabilis est, ut retractentur malè gesta & cesset perseverantia in peccato, quæ eo agnito causa- 3 re potest illum incursum censurarum, ac pœnarum, qui utpotè proveniens à malitia, vel temeritate, quandoq; ob hujusmodi alienationes non intrat, quamvis intret nullitas, quia probabilis error excusare valeat, & tamen errore cognito, locum habere potest ratione perseverantiæ, juxta ea quæ habemus circa incursum censurarum, ob carcerationem, vel aliud exercitium jurisdictionis laicalis in personas ecclesiasticas, quod ipso initio excusabilis esse potest ob credulitatem, quod esset laicus, & subditus, intrat verò ex perseverantia, errore detecto; Sive ea, quæ circa fraudes administratorum in computis, se rationibus habentur *sub tit. de Regal. disc.* 116. ut non ipse actus initiatus, sed perseverantia, pœnarum incursum causet; Ac etiam in emphyteuta, vel feudatario, seu fideicommissario non retractante alienationem, cum similibus.

Atque si extra controversiam est, ut per Ecclesiæ Rectorem, seu administratorem, id fieri possit, etiam invito, ac reluctante altero contrahente, quo casu (inspecta saltem 4 veritate juris naturæ, vel gentium) quædam turpitudo adesse videtur super fidei violatione, ubi præsertim in altero prohibente malitia, seu mala fides vera non accedit, sed solum ex juris subtilitate, vel præsumptione resultat, juxta distinctionem, de qua *disc. præced.* Multò magis id concorditer fieri potest, dum ita istud inconveniens cessat; atque distractus, concordem veritatis, ac bonæ fidei recognitionem potius continere videtur.

E conversò autem, licèt more consulentis ad requirentis opportunitatem in scriptura evendibili, ad effectum parandi honestam concordiam, ut credo sequutam, reassumerem ea, quæ causæ inserviendo plenè deducit Andreol. 5 *controv.* 379. ad probandum filios, aliosque descendentes posse refutare emphyteuticam, seu livellariam concessionem eorum patrem, vel alteri ascendenti factam etiam invito domino directo; quamvis essent dicti primi concessionarii hæredes.

Ac ulterius reassumere ea, quæ habentur deducta *sub tit. de feudis disc.* 71. super puncto facultatis competentis feudatario refutandi feudum domino quamvis invito, replendo juxta modernum usum, (ut ignaro vulgo satisfacerem,) 6 chartas doctrinis, & auctoritatibus *eod. disc.* 71. super hoc articulo deductis.

Eodem tamen contextu, juxta meam consuetudinem, ingenuè monui requirentem, quod ubi contractus esset validus, ipseque hæreditarium qualitatem haberet patris, malam causam foveret, cum dictus recessus fieri potuerit, 7 ex ii quæ habentur deducta *sub tit. de emphyteusi discurs.* 38. ubi de auctoritate Fulginei, & aliorum, benè firmantium, quod in ista quoque materia intrat regula text. *in l. cum à matre Cod. de rei vendic.* quidquid Andreol. *loco citato* teneat, cum doctrina videatur, vel indigesta, vel venalis, ideoque nulla fide digna, quamvis in eo casu Judex, juxta currentem stylum, aliud non ratiocinando, tanquam super doctrina punctuali cum solita cæca fide, cum ea ambulaverit; Cum etenim iste sit contractus correspectivus, atque data ejus validitate, utriusque partis obligatorius, nulla subesse videtur ratio, cur illa claudicatio, quæ in casu nullitatis actus ex speciali Ecclesiæ favore inducta est, ita debeat contra eam retorqueri, atque alteri patti competere, dum volentibus comprehensis in investitura continuare, ipsa id denegare non posset; Potissimè quia, ut advertitur *dicto discurs.* 38. dictus Auctor nulli innititur probabili fundamento, dum solum procedit cum auctoritate Cornei *cons.* 301. *n.* 2. *lib.* 1. ubi de diversis terminis, cum majori etenim probabilitatis apparentia id probare potuisset cum auctoritate Feudistarum, de quibus *dict. disc.* 91. *de feudis* super facultate refutandi.

Et quamvis iste casus ab eo diversificaret, cum ibi questio

esset cum Ecclesia reluctante, in præsenti verò Ecclesia,
8 seu ejus Rectore volente, adhuc tamen de juribus hujus
partis dubitabam, quoniam, ut advertitur *dict. discurs.* 1.
sub alienatione prohibita per *Extravag. Ambitiosæ de reb.*
Eccles. non alienan. ac etiam per antiquiores canones, non
solùm venit alienatio vera, & propria, per quam bono-
rum, vel jurium alienabilium dominium ab Ecclesia ab-
dicatur, & in alterum transfertur, sed etiam alienatio,
impropria, per quam voluntariè remittatur, vel dimi-
nuatur census, vel alia præstatio, ut in specie de diminu-
tione, seù sbassatione censuum consignativorum, Ricc.
decis. 376. *part.* 4. Seraph. *decis.* 1228. cum concord. Bar-
bos. *de Episc. allegat.* 95. *numero* 45. & *seqq.* de Marin. *re-*
9 *solut.* 6. *num.* 10. *lib.* 1. Et conferunt quæ habentur *sub tit.*
de donationibus circa insinuationem, aliasque solemnita-
tes requisitas in donatione, ut etiam requirantur in retro-
donatione, si prima est valida, & perfecta, quoniam in
effectu est nova donatio, & habetur etiam pluries *infrà*
hoc titul. ut in distractu eadem desideranda veniant, quæ
in contractu desiderantur.

Quatenus ergo pertinet ad dictum punctum; à quo, ut
supra, pendebat resolutio quæstionis, an scilicet dicta re-
tractata concessio, valida, vel invalida esset. De stri-
cta juris censura pro invaliditate respondendum dixi, quo-
niam licèt in facto verificari viderentur requisita, de qui-
10 bus *suprà dict. discurs.* 1. ut ista dicerentur bona locari so-
lita, atque de consequenti fieri potuerit concessio, absque
solemnitate beneplaciti Apostolici, ex deductis *eodem di-*
scurs. 1. Attamen, ut ibidem habetur, ut id procedat,
requiritur præ cæteris, ut non alteretur solitum. Quod
in præsenti dupliciter sequutum erat, tam circa modum
canonis, seu præstationis, dum antiquæ concessiones con-
tinebat facultatem emphyteutæ, seù conductoris præ-
standi, vel frumentum, vel quamdam aliam inferio-
rem frugum speciem, quæ ibi mixtura dicitur, quam
etiam circa protractionem concessionis ad plures gene-
rationes.

Ideòque licèt apud antiquiores magna fuerit quæstio, an
isto casu alienatio in totum corrueret, vel potiùs, cor-
ruente parte alterativa, actus remaneret validus, adeò-
11 ut Clarus *in §. emphyteusis quæst.* 6. broccardicam, satis-
que dubiam quæstionem dixerit, quod etiam dixit Rota
decis. 241. *num.* 18. & *seqq. decis.* 261. *num.* 24. & *seqq.* &
decis. 284. *num.* 17. & *seqq. par.* 3. *recent. tom.* 2. Attamen,
ut *eadem decis.* 1. advertitur, hodie in Rota, & Curia,
(quæ in hac materia, utpotè Ecclesiastica omnium alio-
rum Tribunalium norma esse debet,) passim recepta est
diversa opinio, ut utile per inutile vitietur, ideòque ac-
tus in totum corruat, ut *decis.* 202. *num.* 6. *par.* 7. *recent.*
decis. 165. *part.* 10. cum aliis collectis per Fulgin. *de em-*
phyteusi, tit. de contract. emphyteut. quæst. 8. *num.* 2. *cum se-*
quent. & *num.* 11. *cum seqq.* & Adden. *decis.* 12. *numer.* 29.
par. 3. *recent.*

Difficultas tamen mea erat in eo facti præsupposito,
12 quod dicta concessio, tam ob aliquod canonis, vel res-
ponsionis augmentum, quàm ob temporum qualitatem,
Ecclesiæ proficua esset, sibique expediret illam effectum
sortiri, adeòut præjudicium resultans ab alteratione tem-
poris, seù dictæ facultatis dandi speciem pro specie, be-
nè compensata maneret ab aliis utilitatibus, ut eventus
docuit, dum successor adeò firmiter insistebat super illius
observantia, & consequenter quod intraret conclusio insi-
nuata *eod. disc.* 1. ut ea quæ habentur de prohibita altera-
tione soliti, procedant, ne alteratio sit Ecclesiæ præju-
dicialis, non autem utilis.

Magisque dubitandi rationem augebat ea circumstantia,
quod retractato primo actu, incontinenti ad novam con-
cessionem deventum esset, ad limites quidem antiqua-
rum, sed cum minori præstatione, undè propterea (stan-
te potissimum qualitate Rectoris,) aliqua non levis ur-
gebat suspicio collusionis in Ecclesiæ præjudicium, ideò-
que requirenti, ut dictum est, consului, ut eo meliori
13 quo posset modo, se concordare curaret, ut credo sequu-
tum, atque hinc, ut alibi etiam advertitur, in dies e-
doceamur, quantum in judicando Concurrentibus dife-
rendum sit.

ROMANA CANONUM PRO CAPITULO S. MARIÆ MAJORIS CUM ZONCHIS.

Casus disputatus coram Vicario ejusdem Basilicæ, & resolutus pro capitulo, credo, posteà concordatus.

De indirecta, seù impropria alienatione per dimi-
nutionem, seù sbassamentum canonis, vel cen-
sus reservativi: Et an, & quando annullata aliena-
tione, debeantur fructus medii temporis, de qui-
bus Ecclesia reintegrari debeat.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Destructo fundo emphyteutico, an emphyteuta teneatur ad canones.*
3 *Diminutio canonis, vel census est alienatio prohibita.*
4 *Et quando fieri possit.*
5 *An fieri possit reductio census consignativi.*
6 *Quod expediat quandoque facere dictam reductionem.*
7 *An & quando veniant fructus restituendi ob malè factam alienationem.*
8 *De rationibus differentiæ ob quas in censu non veniat dicta restitutio.*
9 *De distinctione inter fructus qui petantur principaliter, vel accessorie.*
10 *De rationibus dubitandis contra obligationem restituendi fructus.*

DISC. VI.

1 FACta per Capitulum Basilicæ S. Mariæ Majoris em-
phyteutica concessiones situs pro domibus construen-
dis sub convento annuo canone, vel censu; Cum tractu
temporis per publicos Ædiles mandatum esset in dicto si-
tu, & adjacentibus locis aperiri novam viam publicam
pro majori etiam commoditate construentium novas duos,
undè propterea hæc pars inutilis, ac infructifera remane-
bat, hinc possessores ab eodem Capitulo obtinuerunt,
(absque tamen beneplacito Apostolico, vel alia solemni-
tate) canonis, vel census notabilem diminutionem, seù
sbassamentum; Agnita verò per successores Canonicos
dicti actus invaliditate, judicium contra emphyteutas mo-
tum fuit pro solutione integrè præstationis ab initio con-
ventæ tam pro tempore præsenti, & futuro, quàm etiam
pro toto decursu, super quo major fuit quæstio, atque
cum ad favorem Capituli judicatum esset, pendente cau-
sa coram Judice appellationis, credo quod honesta con-
cordia super decursu tamen, non autem pro tempore fu-
turo, controversiæ finem dederit.

In his autem disputationibus, tres fuerunt puncti; Primò
scilicet super dictæ reductionis, seù diminutionis va-
liditate, vel invaliditate; Secundò super solutione sum-
mæ diminutæ pro toto tempore decurso ante motam li-
tem; Et tertiò, an tam pro tempore decurso, quàm pro
futuro prætendi possent canones, vel census pro illius si-
tus, vel soli, quod jam destructum erat, atque inutile
effectum, dum ad formam viæ publicæ redactum erat.

De hoc ultimo habetur aliquid insinuatum in sua mate-
ria *sub tit. de emphyteusi disc.* 54. atque decisio pendet à di-
stinctione, quod; Aut destructio provenit ex facto volun-
tario ipsius emphyteutæ, seù livellarii, & indubitatum
est, canones, vel census deberi, quamvis ex re non exi-
stente loco damnorum, & interesse, dum etiam in censu
consignativo, quod est magis, si debitor voluntariè, seù
culposè fundum censitum destruit, vel deteriorat, eadem
obligatio intrat, ut in sua materia *sub titul. de censibus*;
Aut verò provenit casu fortuito, ut in præsenti proveni-
se dicebatur, dum viæ publicæ apertura per publicos Æ-
diles de Pontificio etiam oraculo sequuta erat, & tunc in-
trat distinctio, an pars, quæ remanet, integri canonis,
vel præstationis capax existat, necnè, & quæ capacitas
in præsenti supponebatur.

Super primo item puncto, modica fuit disputatio, cum
planum esset, ut diminutio canonis, vel census reservati-
vi dicenda sit species prohibitæ alienationis, cum ita sit ip-
sa bona Ecclesiastica alienare, atq; Ecclesiæ patrimonium
formiter diminuere, ut in specie advertitur *supra disc.* 1.
& 5. *juxta decis.* 1228. Seraph. ut in specie de hac diminu-

tione, seù sbassatione census reservativi, Ricc. *decis.* 134.
part. 1. *alias decis.* 374. *part.* 4. de Marin. *resol.* 6. *lib.* 1. *num.*
10. & communiter, cum in censu reservativo, vel in pen-
sione locationis perpetuæ casus sit indubitatus, nullamque
habeat dubitandi rationem, quoties fieret per viam meræ
voluntariæ remissionis, seù sbassationis; Secus autem per
4 viam recognitionis veritatis, ac bonæ fidei pacificè, ac
benevole concedendo id, quod de justitia negari non pos-
set, atque denegando judex decerneret, quia nempè ex
temporum conditione, vel aliis accidentibus emphyteuti-
ca, vel censita notabiliter diminuta, sive incapax oneris
effecta esset, juxta casus de quibus *sub dicto tit. de emphy-*
teusi dicto disc. 54.

Solumque alias in facti contingentia pluries dubitatum
vidi, & consultus fui, an eadem reductio, seu sbassatio
absque beneplacito Apostolico fieri possit in censibus consi-
gnativis, quia nempè imposito censu ad magnam ratio-
nem, & postmodum ad minorem reducatu; Atque isto
casu, quando non ageretur de censu antiquo imposito an-
te Bullam Pii V. qui propterea irredimibilis esset juxta de-
cisionem 394. post Cenc. de cens. & per eumdem Cenc. *qu.*
59. *num.* 18. (quo casu reservativi speciem habere videtur,)
sed esset ad libitum debitoris redimibilis, tunc pro meo ju-
dicio dixi indubitatum videri id licitè fieri posse, nullam-
que probabilem dubitandi rationem desuper cadere, cum
id contineat quendam circuitum, seu plurium actuum li-
citorum occultationem, quia scilicet fingatur debitorem
extinxisse, (ut poterat) priorem censum, absque eo
quod Ecclesia creditrix id negare posset, cum esset actus
necessarius, quodque incontinenti ad novam impositio-
nem deventum esset.

Magis verò Ecclesiæ creditrici expedit procedere per
hanc viam simplicis reductionis (quoties tamen citra fra-
6 dem, & collusionem bona fide id lequatur, quia nempè tem-
porum conditio, & usus communis diligentium patrum fa-
milias ita exigat,) quoniam continuante eodem antiquo
censu, evitatur illa quæstio, de qua pluries *sub tit. de cre-*
dito, an scilicet novum creditum creatum pro extinctione
antiqui cum cessione jurium, vel pacto de subintrando, eam-
dem habeat anterioritatem pro fructibus, utpotè à novo,
non autem ab antiquo contractu productis, ut ibi.

Major igitur, ac penè tota disputatio fuit super restitutio-
7 ne ratæ remissæ, seu diminutæ pro tempore decurso, super
quo puncto scribentes pro debitoribus non negabant con-
clusionem insinuatam *sup. disc.* 1. ac etiam *disc.* 4. ut in alie-
nationibus veris bonorum stabilium per verit tem veniant
etiam fructus, cum ista propositio apud antiquiores contro-
versa hodiè videatur plana; Dicebant tamen secus esse in
hujusmodi impropriis alienationibus, quod cum actus im-
plicitum habeat statum validitatis, donec Ecclesia pœniteret,
atque invalidum contractum declararet, quia potest
colle pœnitere ex privilegio claudicationis sibi competente,
idcircò fructus intermedii non restituuntur juxta firmata per Rotam *decis.* 29. post Cenc. de cens. & apud Mil-
lin. *decis.* 235. Gonzal. *de regul.* 8. Cenc. de cens. & alii, de
quibus *dicto disc.* 1.

Quidquid autem sit de hujus assumpti veritate juxta in-
sinuata *eod. disc.* 1. Dicebam etiam in sensu veritatis, ut
eo admisso, non exindè inferri posset ad casum controver-
siæ, procedit enim in terminis diversis census consignati-
8 vi, in quo duplex intrat ratio differentiæ. Primò scilicet,
quod interim Ecclesia habet in manibus sortem, quæ ta-
men ratio tuta non est, cum intraret etiam in casu veræ
alienationis bonorum stabilium, quorum pretium interim
in manibus haberet, & tamen suffragatur, nisi eadem
Ecclesia utilitatem fructibus æquivalentem reportasset,
undè propterea intraret actio, vel exceptio de utili in rem
verso, quia nempè pretium erogatum fuisset in extinctio-
nem debiti fructiferi, vel in acquisitionem censuum alio-
rumque effectuum fructiferorum.

Magis tamen congrua videtur altera ratio, quod cum in
censu consignativo Ecclesia debitrix, vel ejus administra-
tor faciat actum positivum solvendi fructus singulis annis,
vel temporibus, ita positivè declarare dicitur pro eo tempo-
re habere voluisse contractum pro valido, undè propterea
creditor in bona fide versari potuit, atque fructus percipe-
re & consumere, secus autem ubi accedit solùm factum
negativum minoris perceptionis, cum per istud dictæ vo-
luntatis positiva declaratio ita resultare non diceretur.

Ad quod ponderabam etiam distinctionem, de qua plè-
nè cæteris relatis apud Merlin. *decis.* 663. *repetit. decis.* 3. *p.*
7. *recent.* inter illos fructus, qui veniant accessoriæ, & con-
secutivè ad ipsam rem, ac illos, qui principaliter, & de 9
per se debeantur, ac petantur.

Reflectendo autem ad veritatem, tam isto casu, quàm
generaliter in quocumque alio, etiam veræ, & propriæ
alienationis, intellectus non de facili acquiveri dictæ ri-
gorosæ conclusioni super fructuum restitutione, quoties non
detur vera, & culposa mala fides inexcusabilis; Tum 10
quia dicitur hæc quædam mala fides per legem subintelle-
cta resultans à probabili ignorantia juris, cujus notitia,
neque in ipsis Jurisperitis extra magnas Civitates benè da-
ri solet; Tum etiam quia interesse fructuum non percu-
tit jus Ecclesiæ, sed potius ipsius Prælati, vel Rectoris,
qui aliàs eos percepturus fuisset, undè propterea, duran-
te jure Prælati alienantis, hic per exceptionem doli, vel
refectionem damnorum & interesse repellendus videatur;
Et quoad successores, intrare videtur eadem ratio, quod
scilicet non declarando contractum invalidum, sive non
exercendo pœnitendi facultatem, ità implicitè declararent
pro eo tempore habere velle contractum pro valido, & sic
possessor ex ista credulitate versari potuerit in eadem bona
fide, quæ in hac facti specie resultare quoque videbatur
ex justo motivo credendi, ut diminutio canonis fieri
potuerit de justa, & pro recognitione veritatis, & bonæ
fidei, dum pars rei emphyteuticæ, ut supra, destructa,
seu inutilis effecta erat, ideòque insinuatis de more diffi-
cultatibus, consului honestam concordiam.

ROMANA CENSUS PRO CONFRATERNITATE SPIRITUS SANCTI NEAPOLITANORUM. CUM CONFRATERNITATE B. MARIÆ DE HORTO.

Casus decisus per Rotam pro Confraternitate.

De impositione censuum cadente sub prohibita alie-
natione; Et quando Confraternitates laicorum di-
cantur ad hunc effectum ecclesiasticæ, ut earum
bona sub hac prohibitione cadant.

Et an validè imponi possit census ad effectum con-
struendi de novo domum super ipsamet domo
construenda.

SUMMARIUM.

1 *De facti serie remissivè.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Impositio census est alienatio prohibita.*
4 *De differentia inter locum pium, & ecclesiasticum.*
5 *Potest fieri impositio census super bonis quærendis.*
6 *Decisiones Rotæ sunt præsupponendæ.*
7 *De probatione, quod locus sit ecclesiasticus.*
8 *Ad hunc effectum attenditur tempus supplicationis super erectione non autem litterarum.*
9 *An census imponatur super nova fabrica construenda in antiquo solo Ecclesiæ.*
10 *Eadem domus potest esse plurium dominorum per diversa solaria.*
11 *Quando intret distinctio inter fabricam novam, & antiquam.*
12 *An super domo construenda imponatur census.*
13 *Ecclesia debet restituere id quod versum est in ejus utilitatem.*

DISC. VII.

1 PRæsupposita facti serie, de qua in hac eadem cau-
sa *sub titul. de cens. discurs.* 7. occasione agendi, an
census imponi possit super domo, seu re construenda;
Quatenus pertinet ad hanc materiam alienationis bono-
rum Ecclesiæ, & an ista pia laicorum Confraternitas, e-
jusque bona caderent sub dispositione *Extravag. Ambitio-*
sæ per Rotam coram Bichio sub die 15. Aprilis 1652. pro
comprehensione & consequenter pro nullitate census res-
ponsum fuit, atque in hoc statu causa pendet absque ulte-
2 riori progressu.

In hac autem dispositione, cum juxta quotidianam pra-
xim, totum penderet à justitia, non negabant Scribentes
pro creditore conclusionem hodiè extra controversiam re-
ceptam, ut supra *disc.* 1. *generali* insinuatam, ut impositio
census tanquam redolens quandam servitutem fundi cēsiti
3 veniat sub prohibita alienatione, sed conclusione admissa,

tripliciter nitebantur fundamento; Primo scilicet, quod ageretur de Confraternitate laicali, quæ ob opera pietatis pia dici merebatur, non autem ecclesiastica, & consequenter, quod ejus bona non caderent sub dispositione *Extrav. Ambitiosæ de reb. Eccles. non alien.* ut tam ad hunc
4 effectum, quam ad alterum laicalis jurisdictionis, seu competentiæ fori, cæteris plenè relatis ac distinguendo inter locum ecclesiasticum, vel locum pium, habetur apud Rotam *dec.* 313. *par.* 10. *n.* 9. & *dec.* 248. *n.* 19. *par.* 11. *rec.* cum aliis, de quibus supra *eod. disc.* 1.

Secundò, quod nihil de Ecclesiæ bonis alienatum erat, minusque in aliquo ejus patrimonium diminutum, dum census impositio facta erat ad effectum construendi novam domum, quæ solum censui affecta erat, ideòque dicebant intrare ea, quæ habentur apud Roias *decis.* 161. 205. & 262. cum aliis, de quibus *eodem discurs.* 1. ut prohibitio percutiat bona quæsita, & Ecclesiæ incorporata, non autem quærenda, & occasione acquisitionis, cum tunc omnis justitiæ, ac æquitatis ratio suadeat, ut Ecclesia bona acquisita cum sua causa, ac onere insito, habere debeat, nè aliàs resultaret illa locupletatio de alieno, quæ in quolibet privato damnata est, multò magis in Ecclesia, quæ æquitatis, & justitiæ cultrix est aliorumque exemplar.

Et tertiò, quia constabat de versione in causam expressam, si non in toto, saltem in notabili parte, quod scilicet pecunia ad hunc effectum data; erogata esset in merces fabrorum, ac in emptionem cœmentorum.

His tamen non obstantibus, scribens pro Confraternitate, cum sensu etiam veritatis, dicebam de dicti census invaliditate respondendum esse, ideòque resolutio probabilis visa est, Præsupposita siquidem dicta conclusione, quam etiam scribentes in contrarium admittebant, ut posita ecclesiastica qualitate, non dubitetur impositionem census esse speciem prohibitæ alienationis, quodque propterea tota disputatio consisteret in objectis.

Quatenus pertinet ad primum, an ista Confraternitas esset ecclesiastica, vel pia tantùm, admittendo supradictam distinctionem inter locum pium, & locum ecclesiasticum; Dicebam clarum esse, ut versaremur in secunda parte loci ecclesiastici, absque necessitate assumendi desuper ex integro disputationem, dum id jam in indivi-
6 duo firmatum fuerat per Rot. in Romana Spolii 4. Julii 1627. & 16. Januarii 1632. coram Coccino, stante Rotæ inconcusso, ac notorio stylo præsupponendi, & non revocandi, vel circumscribendi incidenter decisiones super aliquo puncto jam editas.

Et nihilominus absque necessitate exquirendi ecclesiasticam qualitatem ex signis, quæ pariter in ipsa Confraternitate verificabantur, habendi scilicet Ecclesiam, & oratorium cum campanis, induendi saccum, & interveniendi in publicis processionibus, sub omnimoda visitatione, & correctione Ordinarii, cessabat omnis difficultas ob expressam formalem erectionem probatam per litteras Apostolicas Sixti V. non quidem pro simplici approbatione pii instituti, seu concessione alicujus facultatis circa divina, & spiritualia, sed cum formali erectione in Ecclesiasticam Confraternitatem, undè propterea punctus remanebat ex solo facto omninò planus.

Solumque circa istam circumstantiam, disputatio fuit in quadam alia causa super consimili censu antiquiori cum
2 quodam Corsino in Tribunali A. C. eo quia impositio per aliquos dies præcedebat dictam Apostolicam erectionem, undè propterea prætendebatur censum substineri, quamvis beneplacitum Apostolicum non adesset, ex dicta ratione, quod tunc locus dici non posset ecclesiasticus, sed remaneret simpliciter pius; Verùm difficultas pariter ex facto sublata fuit, quoniam erectio antecedenter facta fuerat per Gregorium XIII. mediante supplicatione jam signata, & datata, undè propterea ex tunc gratia perfecta fuit, litteræ autem, ob superventam mortem Pontificis, ad probationem, ac executionem potius, quàm ad substantiam gratiæ necessariæ, ut Regulis Cancellariæ satisfieret, expeditæ fuerunt per successorem in ea forma, quæ dicitur, *rationi congruit*, undè propterea gratiæ affectus retrotrahitur ad suum initium, ut pluries in suis materiis *sub tit. de Beneficiis*, & sub altero de Pensionibus.

Quoverò ad alterum objectum impositionis census super bonis acquirendis occasione illorum acquisitionis; Admittebam pariter conclusionis veritatem in abstracto; Negabam tamen ejus applicationem in concerto, quoniam cum census, etiam attenta juris communis, ac antiquarum Constitutionum Apostolicarum dispositione, de essen- 9
tia juxta probabiliorem opinionem, quamvis contradictoribus non carentem, hodiè verò attenta Constitutione Pii V. indubitatam, exigat pro fundo rem stabilem fructiferam, nullatenus dici poterat illum impositum esse super ea eminentiori fabrica nova, quæ ita de novo construebatur, cum illa absque solo, & antiquis fundamentis, ac parte inferiori dici non posset res stabilis stans de per se, sed tamquam species alluvionis constituebat unum, & idem prædium ita actum, ideòque census impositus remanebat super bonis antiquis jam quæsitis, & Ecclesiæ incorporatis.

Et quamvis considerarem deduci posse ea, quæ habentur præsertim in S. Severini *sub tit. de servitutibus disc.* 10. (licèt Scribentes in contrarium id non motivarent,) 10
quod unius ejusdemque domus, plures diversi domini dari possunt per solaria sive appartamenta, quia unus scilicet sit dominus appartamenti inferioris, alter verò superioris, & successivè nil prohibere videretur ut quilibet in sua parte, ad limites capacitatis, censum imponere posset, cum ita dicatur res stabilis fructifera, absque necessitate, ut impositor sit etiam dominus soli, dum receptum habemus, ut etiam super censibus, vel locis montium, quæ sunt stabilia ficta, & improprièd, imponi possunt, ut in sua materia *sub tit. de censib.* Attamen hæc distinctio adaptabilis non erat ad casum, dum unus, & idem erat totius prædii dominus, & quod magis, impositio limitatè facta non erat super sola parte superiori construenda, sed simpliciter super toto palatio.

Dictam verò distinctionem inter fabricam novam, & antiquam, etiam in casu, quo unus, & idem sit ejusdem ædificii dominus, & possessor, rectè cadere dicebam ad effectum potioritatis, juxta terminos textus *in l. interdum* 11
ff. qui potior. in pign. habeantur, ut scilicet super fabrica de novo constructa jus non habeant creditores anteriores possessoris in concursu creditorum posteriorum, quod ad eamdem fabricam construendam pecuniam mutuarunt; Sive quod creditores venditoris, ac prioris domini, hypothecam non habeant super nova fabrica constructa per emptorem, quamvis ista adæquaret valorem fabricæ antiquæ per ipsummet emptorem, in statu tamen bonæ fidei demolitam, itaut subrogatio non intret, juxta ea, quæ habentur *in Romana pro Monte Pietatis sub titulo de credito disc.* 24.

Incidenter etiam motivatum fuit de invaliditate impositionis census, etiam ubi limitatè, ac taxativè illa facta fuisset super loca fabrica de novo construenda, quasi quod 12
esset contra formam dictæ Bullæ Pianæ exigentis pro fundo rem stabilem fructiferam, cum de tempore impositionis ista non esset in rerum natura, ut in hujus causæ decisione quoque motivatur, & habetur *sub dicto tit. de censib. disc.* 7. in hac eadem causa; Revera tamen motivum non erat considerabile quoniam impositio censeretur facta ex nunc pro tunc, quando domus, vel ejus pars construenda, ad illum statum perfectionis redacta esset, quod speciem fundi censiti constituet, ac propterea difficultas percutit solum statum intermedium, ut donec dicta perfectio sequatur, non possit creditor prætendere fructus census, quamvis hic punctus esset extra peculiarem materiam alienationis bonorum Ecclesiæ.

Demùm quoad tertium motivum versionis, illud consistebat in puro facto, pro ea tamen rata, pro qua versio probaretur, admittebam, ut ex æquitativa actione de in rem verso, reficiendum esset id, quod versum erat, nè detur in Ecclesia locupletatio de alieno, sed punctus erat, ut non subsisteret tanquam census, sed remaneret simplex creditum pecuniarium infructiferum, remanente quæstione, an fructus soluti restituendi, vel imputandi essent juxta ea, quæ super ista quæstione habentur *disc. seq.*

ROMA-

ROMANA CENSUS PRO GALERATIS, ET CONSORTIBUS CUM COLLEGIO PHARMACOPOLARUM ET ALIIS.

Casus disputatus coram A. C. Gran Signatura, & resolutus pro Galeratis, & Consortibus.

De eadem materia census impositi per Confraternitatem, seu Collegium, vel aliam Universitatem piam, vel ecclesiasticam. Et quando de una, vel altera specie dicatur; Et quatenus impositio sit invalida cum ipso loco pio, vel Ecclesiastico, an substineatur cum personis particularibus æque principaliter obligatis.

SUMMARIUM.

1 FACTI *series.*
2 *Quando dicatur locus, vel ecclesiasticus.*
3 *Ubi praxis docet subjectionem fori laicalis, non defertur signis.*
4 *Qualitas laicorum facit præsumere locum pium non autem Ecclesiasticum.*
5 *De universitatibus, vel collegiis artificum, & professorum.*
6 *Quod habere Ecclesiam non probet universitatem ecclesiasticam.*
7 *De ratione ob quam impositio census est alienatio prohibita.*
8 *Quando hypotheca sit prohibita.*
9 *Obligatio particularium in contractu cum Ecclesia substinetur, quamvis respectu ipsius Ecclesiæ non substineatur.*
10 *De obligatione civium particularium pro Civitate, seu Communitate.*
11 *Quando creditori non præjudicet nullitas obligationis civilis, qui est contrahere prohibitus remissivè.*
12 *De resolutione ejusque ratione ob quam particulares fuerunt condemnati, non autem universitas pia, vel ecclesiastica.*

DISC. VIII.

1 IMposuit Janus censum scutorum 100. ad favorem Patritii, cum fidejussione Martini, & Galerati, postmodum in Collegium Pharmacapolarum declaravit, censum in ejus causam impositum esse pro ejus aliquibus indigentiis, ideòque promisit relevare indemnes dictum principalem debitorem, & fidejussores, pro quorum etiam indemnitate, tanquam principales, principaliter, & insolidum se obligarunt plures ejusdem Collegii tunc temporis administratores, ac officiales, Cumque impositor, & fidejussores coacti fuissent solvere dictum censum, ac propterea egissent, tam contra Collegium, quam contra obligatos pro relevatione coram A. C iste, salva provisione facienda respectu Collegii, relaxavit mandatum contra particulares obligatos, illudque canonizatum per Signaturam Justitiæ, unde propterea credo, quod actores reintegrati fuerint, vel quod concordia litem terminaverit, dum amplius de illa actum non audivi.

In his autem disputationibus, Collegii, & correorum exceptio, consistebat in prætensa invaliditate impositionis hujus census facta per locum ecclesiasticum, absque beneplacito Apostolico contra formam *Extravag. Ambitiosæ de reb. Eccles. non alien.* Verùm scribens pro actoribus (etiam in sensu veritatis, agnitæ quoque per Judicem) dicebam hanc exceptionem non subsistere ex duplici fundamento; Primò scilicet, quod Collegium verè non esset ecclesiasticum, ideòque sub dispositione *dictæ Extravag.* non caderet; Et secundò quod in omnem eventum subsisteret obligatio particularium, ac etiam illa ejusdem Collegii tanquã continens hypothecam generalem pro debito in ejus causam contracto, & verso.

Quatenus pertinet ad primum; Scribentes pro Collegio, reassumendo ea, quæ in hac materia habentur deducta per
2 Gabriel. *de pia causa conclus.* 1. & 2. Barbos. *de Episcopo allegat.* 75. & per Rotam in Romana census 15. Aprilis 1652. coram Bichio, tunc jam edita in causa, de qua *disc. proximè præced.* Dicebant, quod licèt de formali erectione non doceretur, cum esset Collegium antiquum longè ante Urbis excidium, in quo multæ scripturæ perierunt, attamen signa convincebant esse locum ecclesiasticum, utpotè existens in Ecclesia publica S. Laurentii in foro Boario erecta in antiquo Templo dicato Faustinæ, ubi etiam adest Hospitale, atque divina recitantur per collegiales festivis diebus, aliaque spiritualia, & pia opera exercentur.

His tamen non obstantibus, omninò verius esse dicebam istum esse locum, sive universitatem laicalem; quamvis piam, non autem ecclesiasticam, ex ea clara probatione, ob quam juxta vulgarem regulam text. *in l. ille aut illeff. de le-* 3
gat. tertio, locus non erat signis, & argumentis, quod scilicet subjaceret jurisdictioni, correctioni, & superintendentiæ Senatoris Urbis; qui est Magistratus merè sæcularis, omninò incompetens ubi corpus esset ecclesiasticum, quamvis singulis tanquam laici in eorum privatis causis laicali foro subjacerent, juxta distinctionem, de qua sua materia *sub tit. de jurisdict. & foro competenti.*

Fortius verò, quia deficiente formali erectione, cum personæ hanc universitatem constituentes essent sæculares præsumptio est pro laicalitate, non obstante quod plura pia & spiritualia opera exerceantur, quoniam id facit, ut locus, 4
vel universitas sit pia, non autem ecclesiastica ad hunc effectum, ut advertitur supra *disc.* 1. & in aliis pluries, & in ibi allegatis *decis.* 313. *part.* 10. & *decis.* 248. *part.* 11. *recent.* ubi concordantes.

Ponderando potissimè, quod non ageretur de Confraternitate plurium personarum diversorum ordinum, vel gene- 5
rum, quę primario ex motivo pietatis, ac divini cultus illam universitatem efformarent pro divinis operibus exercendis, ut sunt Confraternitates, vel Hospitalia &c. Sed ageretur de Collegio professorum unius artis, vel exercitii, undè propterea universitas principaliter ordinata videtur, pro tractandis ipsius artis, vel ministerii negotiis, ac modo se gerendi, juxta illas artificum Universitates, vel Adunantias, de quibus mentionem faciunt Roman. *cons.* 421. Franch. *decis.* 175. & alii deducti *in Romana taxæ sub tit. de Regalibus disc.* 98. Ac adinstar Collegiorum, quæ constituere solent etiam professores juxta *decis.* 832. & 882. Merlini cum similibus.

Et quamvis hujusmodi Universitates artium, vel professionum, habere soleant Ecclesiam, vel cappellam, attamen ex communi usu Urbis, aliarumque magnarum Civitatum ad instar, id principaliter sequitur pro destinatione loci publici, in quo professores congregari valeant, atque regi- 6
men, & negotia artis, vel professionis tractent, accessoriè verò, & consecutivè, ob pia, & spiritualia opera etiam exercenda, adeout, (præsertim in Urbe,) nulla detur ars, nullumque exercitium quod suam non constituant universitatem, cum aliqua Ecclesia, vel capella, ideoque combinando hujusmodi considerationem cum observantia subjectionis Senatori Urbis, qui est magistratus merè laicalis, ita planum esse dicebat, hanc esse universitatem, piam quidem, ideoque ad præscriptum Sacr. Concil. Trident. subjectam visitationi Ordinarii, qui jus habebat etiam interveniendi in redditione rationum, juxta ea, quæ habentur pluries *sub titulo de jurisdiction.* non autem ecclesiasticam.

Et nihilominus, ubi etiam esset ecclesiastica, cum ipsa directè super ejus bonum censum non imposuisset, hinc proindè dici non poterat, quod versaremur in casu propriæ, vel impropriæ alienationis bonorum Ecclesiæ, cum eatenus cẽsus impositio cadat sub prohibita alienatione, quatenus 7
perneceſsè facienda sit super bonis stabilibus fructiferis, quæ ita improprię per hujusmodi speciem servitutis alienari dicuntur, ut supra *discurs.* 1. *præced.* In præsenti autem fundus censitus erat dicti Jani, qui personam principalis impositoris gesserat, Collegii autem obligatio erat solum pro re- 8
cognitione veritatis, ac indemnitate dicti impositoris, & fidejussorum, unde propterea resolvitur in simplicem hypothecam, quæ ubi non exerceatur pro distractione bonorum stabilium, sed vel super fructibus, vel super bonis mobilibus, sub prohibitione non cadentibus, non est prohibita alienatio, juxta distinctionem, de qua cæteris relatis Rota apud Rojas *decis.* 261. *repetit.* post Merlin. *de pignor. decis.* 95. passim recepta, & canonizata, utpotè in materia magistrali, dum ita conciliantur, seu declarantur præcedentes *decis.* 161. & 205. coram eodem Rojas, ac aliæ auctoritates, quæ invicem pugnare videntur, ideoque in omnem eventum, dicta obligatio, cum hoc temperamento exercibilis erat.

Quoverò ad alterum fundamentum obligationis particularium, advertebam, ut quo ubi magis dicta difficultas caderet super validitate obligationis ipsius Collegii, eo magis planum remaneret, ut dicti impositores, & fidejussores

noluis-

noluissent sequi fidem Collegii, sed principaliter illam obligatorum, sine quorum relevatione, se non obligassent; Adinstar eorum quæ habemus de obligatione civium particularium se obligantium pro debitis contractis per Civitates, seu Communitates prohibitas se obligare, vel debita contrahere sine certis solemnitatibus, ut tanquam absolutum supponitur apud Capoblanc. de Beron. *par. 2. cap.* 83. & de Marin. *resol.* 77. *par.* 1. & *resol.* 59. *par.* 2., ex quibus patet, difficultatem solum in Regno Neapolitano cadere ob dispositionem Regię pragmaticæ annullantis etiam obligationes privatorum, undè propterea quando contigit causas tractati in foro ecclesiastico, sivé in Curia Romana, puta cōtra ecclesiasticos obligatorum hæredes, vel bonorum possessores, passim hujusmodi obligationibus executio datur, neglecta dictæ pragmaticæ dispositione, ratione juramenti, cujus leges laicales vim directè tollere non possunt, ut pluries firmavit Rota, ut coram Buratt. *decis.* 44. *n.* 4. Add. ad eumdem *decis.* 422. *num.* 16. ac plenè *decis.* 189. *num.* 21. *cum seqq. par.* 9. *recent.* & habetur particulariter actum *infra disc.* 26. ac etiam *sub tit. de credito*, ubi pluries, de recepta distinctione, quod tunc nullitas obligationis unius influit in alios non prohibitos, quando istorum obligatio est merè fidejussoria, secus autem ubi sit æquè principalis, quinimò magis principalis.

10 Nulla etenim ratio suadere videtur, cur privatorum obligatio subsistere non debeat, præsertim quæstio non est cum ipso creditore, in quo fraudis, vel collusionis ratio cadere valeat, juxta distinctionem text. *in l. si pecuniæ Cod. ad Vellejanum*, de qua infra, & *sub tit. de credito*, sed cum fidejussoribus contendentibus tantum de relavatione à damno quod ita, pro benevolo gratuito officio impensō, contra omnem justitiæ, & æquitatis rationem paterentur.

11 Eatenus autem ocultus Judex relaxavit mandatum contra particulares obligatos, non autem contra ipsum Collegium, ejusque bona, quia ex parte administratorum prætendebatur quod non benè constaret de visione in causam

12 expressam, quodque istud debitum, in toto, vel in parte participaret de natura censuum, de quibus *disc. præced.* Cumque iidem obligati, tunc essent administratores, ad quorum manus pecunia obvenerat, hinc proinde justè consideratum fuit, ut incumbere non deberet fidejussoribus de dicta versione inquirere, sed quod relevandi essent à dictis obligatis, qui agendo contra Collegium pro relevatione, repelli poterant cum dicta exceptione, quæ dictis fidejussoribus obstare non debeat, atque tunc de puncto versione agere congruum esset.

MACERATEN. CENSUS.

PRO CONVENTU S. FRANCISCI OPPIDIS VICTORIÆ CUM MONASTERIO MONIALIUM S. LAURENTII.

Casus disputatus coram A. C. & in Signatura, & resolutus pro Monasterio.

De privilegiis, & facultatibus aliquarum Religionum alienandi, non obstante prohibitione canonum, & Extravag. Ambitiosæ, sine beneplacito Apostolico; Et quando etiam sine beneplacito dici valeat bene facta impositio census super bonis quæsitis de novo, & in eorum causam.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Impositio census est alienatio prohibita.*
3 *Constitutio Urban. VIII. non procedit in alienatione facta in Ecclesiam de versione.*
4 *Quomodo creditor non teneatur esse solicitus, & n.* 9.
5 *De indultis concessis Minoribus Sancti Francisci faciendi alienationes, & de dictorum minorum capacitate, vel incapacitate.*
6 *De moderatione dictorum indultorum.*
7 *An intret beneplacitum præsumptum, si constet de alia licentia.*
8 *Neque intrat dicta præsumptio ubi verum beneplacitum dari non solet.*
9 *De eadem conclusione, de qua n.* 4.
10 *Quomodo sit consulendum necessitati, ut non procedatur ad alienationem.*
11 *Quomodo dari soleat licentia imponendi casus cum obligatione extinguendi.*
12 *De rationibus, ob quas alienatio debeat substinteri.*
13 *An alienentur bona obventa ex aliqua hæreditate pro ejusdem hæreditatis debiti.*
14 *Quomodo in hac materia sit procedendum.*

DISC. XI.

1 OBventis ex hæreditate, vel legato in Conventum Minorum Conventualium Oppidi S. Victorię quibusdam bonis, cum onere erectionis cujusdam oneris in eorū Ecclesia, pro qua erectione necessaria erat Apostolica auctoritas; Religiosi non habentes promptā pecuniam desuper necessariam pro expeditionibus litterarum, cum licētia Ministri Provincialis imposuerunt censum super eisdem bonis, ut supra obventis, licēt pro majori quantitate quàm dicta impensa exigeret ad favorem Monasterii Monialium; Cumque per longissimum tempus annorum 30. & ultra, fructus pacificè soluti essent, prætendere cœpit dictus Conventus ulterius ad eos non teneri ob invaliditatem impositionis, tam ex defectu beneplaciti Apostolici, quàm defectu causæ, dum dicta impensa erat longè minor, quę commodè cum fructibus, cum aliqua mora fieri poterat, absque necessitatem faciendi dictam alienationem; Quare introducta causa coram A. C. contra Conventum judicatum fuit, relaxando contra eum mandatum pro fructibus decursis, habitoque recursu ad Signaturam Justitiæ, rescriptum fuit de appellatione etiam suspensiva, sed repropsita causa, credo quod, recedendo à resolutis, rescriptum sit cum clausula *sine præjudicio*, unde Conventus, vel acquievit, vel se concordavit, dum amplius de causa actum non audivi.

In disputationibus autem in utroque Tribunali habitis præsupposita necessitate copulativi concursus solemnitatis & causæ, ut requiritur in alienationibus bonorum Ecclesiæ ad formam Extravag. Ambitiosæ, quam amplius non dubitatur locum habere etiam in impositionibus censuum, quāvis ad favorem alterius Ecclesiæ, cum certum sit in hac 2
materia non intrare conquassationem privilegiorum, ut advertitur *supra disc.* 1. & alibi, atque ex hodie magis communi, & recepta sententia habetur infra in contractibus initis inter minores, vel mulieres; sed æquè privilegiatos.

Dicebant scribentes pro creditore, (& Judex admittebat) solemnitatem dupliciter concurrere; Primò scilicet ob licētiam concessam à Ministro Provinciali quæ dicebatur in proposito sufficiens ex indultis Apostolicis huic Minorum Religioni concessis per Leonem X. & Greg. XIII. Et secundò ut concurreret beneplacitum præsumptum, quod resultat à lapsu temporis longissimi juncti cum observantia, quorum utrumque accedat, non obstante moderna Constitutione
157. Urbani VIII. dum receptum est ut cum Ecclesia, vel 3
loco ecclesiastico non procedat *ut eodem disc.* 1.

Et quoad defectum causæ, dicebāt eamdem præsumptionem resultantem à longissimi temporis observantia, in idem quoque suffragari, quod scilicet non solum præ sumatur solemnitas, sed etiam utilitas, juxta auctoritates *eodem discurs.* 1. deductas, quas ac alias pro moderno stylo plenè cumulabat; Et ulterius quod cum ageretur de censu imposito pro causa voluntaria, non teneretur creditor esse solicitus de versione, juxta firmata in terminis specialibus 4
census impositi per Monasterium apud Merlin. *decis.* 219. *repetit. decis.* 465. post Cenc *de cens.* istudque fuit præcipuum fundamentum.

E converso, ego scribens pro Convento debitore, absque necessitate immorandi in regula, quæ nullitati assistit, dum illa per alteram partem admittebatur; Dicebam præfatas limitationes non suffragari ex defectu applicationis ad casum; Tum quia dicta Indulta Apostolica percutiunt Religionem Minorum Observantium, qui sunt incapaces retinendi bona stabilia in redditu, nō autem in acquisitione, ad effectum vendendi juxta plenè firmata apud Merlin. *dec.* 546. *repetit. dec.* 365. *part.* 5. *rec.* & pluries in sua materia *sub tit. de Regularibus*; Ideoque præfata Indulta disponunt, id quod de jure, potiusq; prodierunt ad tollendas difficultates resultantes *à cap. exiit de verb. signifi. in sexto*, & *à Clement. exivi eod. tit.* supra dicta habilitate acquirendi, & vendendi quam ut concederetur indultum speciale derogatorium Extravag. Ambitiosæ; Ideoque istud erat clarum æquivocum, ut dicta Indulta continerēt circa hoc privilegium dictę Extravag. correctivum; Et consequenter manifesta erat fallacia in applicatione, dum agebatur de minoribus Conventualibus, qui ex relatione regulæ ex indultis Apostolicis resultante,

ultante, sunt extra controversiam capaces retentionis bonorum stabilium, ac redditum.

Et nihilominus, ut *eodem discurs.* 1. advertitur, hujusmodi privilegia, quæ, vel directè, vel per communica-
6 tionem plures Regiones capaces præsupponunt habere, moderata fuerunt per Decreta generalia edita de anno 1624. de quibus frequenter testantur moderni Morales, & Collectores.

Quovero ad beneplacitum Apostolicum præsumptum, quod resultat à longissimi temporis observantia (ultra in-
7 spectionem, an hæc præsumptio cesset ex contraria probatione, quod impositio facta sit in vim alterius licentiæ, quod tamen causat probationem præsumptivam, non autem concludentem ob compatibilem concursum utriusque solemnitatis rectè cumulatis, donec de negativa constet;) Dicebam omnem difficultatem cessare ex alia conclusione *eod. dis.* 1. deducta, quod hæc præsumptio non intrat, ubi constat de ineptia, vel insufficientia causæ, sine qua Pon-
8 tifex vel Sacra Congregatio hujusmodi licentias non concedit, & consequenter non potest fictio supplere illam veritatem, quæ verificari non potest, ex ibi deductiss.

Ad conclusionem autem, quod creditor non tenetur esse solicitus de versione; Respondebam cum eisdem distinctio-
9 nibus in hac materia traditis *eod. disc.* 1. ut scilicet id procedat quando verificatur dictus copulativus concursus, tam solemnitatis, quam causæ, quę sit vera, & sufficiens solumque difficultas cadat circa versionem; In præsertim autem, difficultas non erat super versione alicujus partis pecunię in causam expressam, sed erat super falsitate, dum pro expeditione litterarum tanta summa necessaria non erat, ac etiam super ineptia pro ipsamet summa necessaria quoniam (ut supra insinuatur) cum non esset valdè notabilis, benè consuli potuisset, vel expectando cumulum ex fructibus ipsorum bonorum, obtinendo interim aliquam
10 prorogationem temporis de facili à S. Congregatione concedendam pro erectione injuncti operis, vel accipiendo mutuam pecuniam, etiam sub aliquo interesse, satisfaciendam mediante assignatione fructuum aliquorum annorum mutuatori facienda, suspensis interim piis operibus, quæ ex ipsis fructibus adimplenda erant, unde propterea Papa, vel S. Congregatio, ex ista causa verisimiliter hanc facultatem non concessisset, dum, etiam quando oportet imponere census, quia non possit alio modo occurri, adhuc injungi solet Rectoribus, vel administratoribus Ecclesiæ,
11 seu loci Ecclesiastici, etiam sub comminatione pœnarum, onus extinguendi infra certum terminum cum fructibus, ex deductis *infra disc.* 11.

Quamvis autem de stricta, & rigorosa juris censuris crederem (etiam in sensu veritatis) hanc impositionem invalidam esse, cum dictæ responsiones, quæ ex hac parte deducebantur, in puncto juris essent solidiores: Adhuc tamen, reflectendo ad eamdem veritatem, me torquebat quædam non scripta naturalis æquitas, ob quam, resolutio potius
12 probabilis visa est, quoniam census impositus non erat super antiquis bonis ipsius Conventus, qui proindè sui patrimonii diminutionem ita pateretur, sed super ipsismet bonis de novo obventis, & in eorum causam, unde propterea non erat alienare, vel minuere bona quæsita, & incoporata, sed facere expensas necessarias pro acquisitione, sive ita minus quærere: Et consequenter quod rectè intraret limitatio, de qua *eod. disc.* 1. ubi agitur de bonis quærendis, & occasione acquisitionis; Licēt enim prudentius fuisset providere cum fructibus, ut supra, non tamen ex eo quod omissa via magis prudenti, eligatur ea quæ minus prudens est, resultat, ut contraventum dicatur *Extravag.* dispositioni, ubi bona sub illius dispositione adhuc non cadunt, quia Ecclesiæ incorporata non sunt.

Et quamvis eodem juris rigore retēto, aliqui crediderint,
13 ut alienationis prohibitio procedat etiam in ipsismet bonis hæreditariis, postquam quæsita, & incorporata sunt, quamvis alienatio fieret pro extinguendis debitis ejusdem hæreditatis, attamen intellectus nunquam huic assumpto acquiescere potuit, nisi quando concurreret mala fides, & culpa positiva, affectando alienationem pro causa, cui commodè cum fructibus occuri potest, juxta ea, quæ in similibus terminis bonorum fideicommissariorum habentur *sub tit. de fideic. disc.* 160. & *sub tit. de dote ad materiam Auth. res quæ disc.* 145. dum eo ipso, quod agitur de debitis, vel oneribus, quæ ipsis bonis insunt, ita dicitur fieri acquisitio cum sua causa, non autem pura, & libera: Potissimè ubi omnis suspicio fraudis, ac malæ fidei abest ab eo, in quem alienatio facta, est cui imputari non valeat, cur diligentior non fuerit, ut dici potest de privatis, in quibus, fraudis & collusionis cum Prelato, seu administratore, cadere valeat suspicio, quæ in hac facti specie omninò exultabat, dum agebatur de Monasterio Monialium ita erogante pecuniā, de necessitate erogandam, & quam alias cum privatis investisset, & potissimè in parvo loco, ubi hujusmodi juris subtilitates ignotæ sunt: Et consequenter, pro meo judicio, ista materia, discretè pro facti qualitate, & circumstantiis 14
regula videtur, non autem indefinitè juris regulas, cum litterali rigore cuicumque casui applicare, juxta leguleici vulgi morem.

LAUDEN. CENSUS.

PRO MONASTERIO CONGREGATIONIS OLIVETANÆ VILLÆ NOVÆ CUM MARCHIONE JULIO LUCINO

Casus decisus per Rotam pro Marchione, pesleà, ut credo, concordatus.

An valeat impositio census pro extinctione alterius census antiqui in diversa moneta ab ea, in qua antiquus debebatur, & de qua licentia Apostolica loquitur, adeout beneplacitum dicatur male exequutum, & an absque beneplacito imponi possit novus census pro extinctione antiqui valide impositi cum beneplacito; Vel è converso, an valeat secunda impositio, quamvis cum beneplacito, facta pro extinctione alterius census, quem detegatur esse invalidum.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutio causæ.*
3 *Quando augmentum monetæ cedat commodo, vel incommodo creditoris, vel debitoris.*
4 *Idem est non adesse beneplacitum, & adesse, & non servari ejus formam in specie, quod loquatur de una specie monetæ, & contractus fiat in altera.*
5 *In materia alienationis bonorum Ecclesiæ utile per inutile vitiatur.*
6 *Sed modicus excessus non attenditur.*
7 *Quod nil referat formam altèrari circa species monetæ, ubi effectus est idem, & quid in hac materia attendatur.*
8 *Quod non detur læsio in actu, qui potest se habere ad commodum, & damnum, circa alterationem valoris monetæ.*
9 *Quomodo regulari debeat incertus valor de futuro.*
10 *Qualitas contrahentium satis in hoc attendenda est.*
11 *Nimium refert, an venditor sit conscius pretii, & emptor ignorus.*
12 *An sine solemnitate imponi possit unus census pro extinguēdo antiquo imposito cum solemnitate è contra.*

DISC. X.

1 CUm Monasterium Olivetanæ Congregationis Villenovæ, ad effectum solvendi pretium aliquorum bonorum emptorum, indigeret libris 50. mil. pro ipsis de anno 1607. census imposuit ad rationem sex pro centenario, specificando sortem in ducatonis 10619. sub conventione, ut ducatonus semper, & omni tempore, etiam in casu redemptionis, esse deberet librarum quinque, & solidorum 23 De anno verò 1619. idem Monasterium licentiam Apostolicam obtinuit, pro majori utilitate, creandi novum censū in summa scut. 10. mil. monetæ, ad rationem quinque pro centenario, pro extinguendo dicto alio censu graviori, cujus licentiæ vigore census imposuit ad favorem Lucini in ducatonis, qui Mediolani dicuntur de cuneo boni argenti, ut cuduntur in zecca Mediolani, sub pacto ut creditor, tam pro fructibus, quàm pro restitutione sortis in casu redemptionis ad aliam speciem monetæ recipiendam cogi non posset; Cum autem tractu temporis, ob excrescentiam valoris auri, & argenti dictus ducatonus, qui de tempore impositionis valebat libris 5., & solidis 13. factus esset valoris librarum 8. circiter, quod causabat Monasterio grave damnum, hinc prætendi cœpit nullitas dicti contractus, quodque propterea tam in fructu, quam in specie Monasterium teneri solum deberet ad eam rationem, quam importaret debitum extinctum lib. 60. mil. Quare introducta causa in Rota coram Taja, datoque dubio, an constaret de validitate census etiam ad